
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
33
A
8

Clariſsimorum Philoſophorum

PETRI VICTORII,

&

IOANNIS CASELII

EPISTOLÆ LECTV D

gnißimæ

In gratiam Studioſæ juventutis denuò excuſæ:




FRANCOFVRTI

ANNO

M. D. XCVII.

Ad Illuſtriſsimum Principem

IOACHIMVM FRIDERICVM MARCHIOnem Brandeburgenſem, Ducem Pomeraniæ &c. Adminiſtratorem Archiepiſcopatus primarij Magdeburgenſis.



Proœmium
IOANNIS CASELII.

CVm conſtituiſſem apud me hos tres epiſtolarum Petri Victorij ad Germanos miſſarum libros edere, idq́; profiteri valdè etiam cuperem; in tuo potiſsimum eos nomine Ioachime Friderice, Princeps illuſtriſsime, apparere volui. Putabam enim, eos tibi præ omnibus deberi, qui inter omnes, ad quos illæ

exaratæ sunt, principem locum teneas: insuper ex longo intervallo nouum veteris meæ in te observantiæ signum hac ratione edere volui. Diu enim est, quod neq; coràm neq; per litteras te compellaui, quod solebam olim facere crebrius, cum, ut dignum est adolescente principe, totus esses in studiis optimarum artium; nunc rarius facio, ne vel te negotijs reipub. occupatum interpellem, vel etiam ambitiosior videar, cum intelligam, mei ordinis homines à regibus expeti, non nos vobis debere nosmet obtrudere. Neq; nunc ad te scriberem, ac ne auderem quidem, neq; debere me putarem, nisi scirem, etiam cum in summo isto gradu dignitatis constitutus, & quotidie fortunatißimorũ hominum satellitio stipatus es, te neq; studium sa-

pientiæ, quo maximè nunc tibi opus eſt, in vniuerſum abieciſſe, quod facere ſolent, qui neq; ipſi rectè volunt viuere, neq; populorum ſuorum ſaluti, vti reges decet, conſulere: neq; mei prorſus oblitum eſſe, qui te & ipſe ad verum decus ſolebam inflammare, & aliis, quorum auctoritatem apud te valere arbitrarer, auctor eram, vt te in pulcherrimo omnium ſtadio, quod feliciter ingreſſus eras, magnaq; cum noſtra exſpectatione currebas, ſedulo confirmarent. Quin accepi te peramicè mei aliquoties mentionem feciſſe: quod audivi ſumma cum voluptate, non ſolum quod potentiſsimi principis benevolentiam plurimi æſtimarem, cuius opibus quodammodo niterentur fortunæ meæ, ſed etiam quod ex hac tuæ egregiæ in me volun-

 tatis

tatis constantia, haud dubium iudicium & de priuata vita tua & de reip. procuratione facerem: etsi fama quoq; ipsa tuas laudes longè lateq; disseminat. Quare neq; dubito, quin hoc officium scribendi, quod subij, probaturus sis, pro tua facilitate & in bonas litteras amore singulari, & quem mitto librum non minus libenter accepturus, quàm si ipsum ego condidissem: immo hoc libentius, quo hæc meliora sunt omnibus lucubratiunculis, quas ipse possem párere: etsi & in hoc elaborabo, vt extet aliquando non aspernandum ingenij mei monimentum, quo testificer plenius meam in te obseruantiam, & animum tuorum in me meritorum memorem. Sed librum hunc futurum tibi gratissimum omnino mihi persuadeo, tum

quia

quia sunt hic digna lectu omnia, pleraq́ȝ jucunda, multa vitæ utilia, quod cum multi politi homines animadverterent, non contenti exemplis aliquot epistolarum, omnium editionem flagitarunt, quam perpetuò publicæ utilitati negare nolui, faciliorem q́ȝ me præbui, ut longe plures elicerem, tum quia in viris doctrina recondita & vera virtute excellentibus plurimi facis & colis Petrum Victorium. In quo te rectè facere, si ostendere velim, multa de viro illo præstantissimo dicenda forent, quæ omnia verè possem dicere: neqȝ non & id feci aliàs, & faciam in posterum sæpius: nunc è ceteris hoc unum referam: nullum in Italia vidisse me hominem æquè φιλογέρμανον, *uti ille est, cuiusmodi paucis ante seculis fuisse*


Ra-

Raphaëlem Maphæum, ipse & alibi, & Volaterris; cum eius pronepotes, mihi amicissimi adolescentes, me domi suæ humanissimè exciperent, audiui: itaq; & quotidie illius ædes à Germanis frequentabantur. Germanos inquam, semper suspexit Victorius, alienissimus à morbo inuidiæ, quæ ut cibus esse fertur plerisq; mort[illegible], fortitudinis Germanicæ, itemq; integritatis summus & amator & prædicator. Merito igitur nostræ gentis studiosissimum hominem veneramur: neq; tu aberras, neq; indignum tuis majoribus, istaq; amplitudine facis, cum & idem facis, & hunc ipsum librum, quo magis te id facere intelligamus, non aspernaris: quem etiam siue sponte tua, siue rogatu meo, cum vacabis, perleges. Vale, & quemadmo-

admodum hactenùs nulla, nisi clementiæ exempla edidisti, ita porro ab iuuenili hac tua ætate toto vitæ spacio tuos populos iustißimè rege, vt & tibi sempiternam gloriam parias, & rectißimi imperij simulacrum posteris tuis relinquas. Rostochio Kal. Mart. Anno M. D. LXXXXVII.



PETRI VICTORII
EPISTOLARVM AD GERMANOS MISSARVM.
LIBER PRIMVS.
PETRVS VICTORIVS S. D. Joachimo Camerario.



Equo animo patior, vir optime atque eruditiſsime, me à te in hoc ſcribendi officio ſuperatum: quamvis hanc laudem humanitatis ſemper toto animo expetiverim. Cum enim in manus meas venerunt animadverſiones tuæ, & quaſi cenſura quædam, in libros eos Ciceronis, quos ego ſtudio meo atque auxilio antiquorum codicum, purgare paullò antè conatus fueram, cognoui animi tui probitatem mirificeq; delectatus ſum conſilio tuo, qui ea quæ probanda eſſe duxiſti, laudaſti, & auctoritate etiam tua confirmaſti: de quibus vero aliter ſentiebas, ab illis leviter

leviter modiceq; diſſenſiſti, ſententiamque tuam ſine livore vllo, aut obtrectatione aperuiſti: longè alia ratione, ac plerique hodiè faciunt, vt &, omnes, qui hæc curant, facile noverunt, & ego ſæpè expertus ſum. Omnes enim illi occaſionem lædendi quærunt, & ea ſæpe, quæ recte cogitata, firmaq; ſunt, malevolentia ducti convellere conantur. Sed hoc genus hominum improborum relinquamus, & invidia confici morſuq; hoc doloris lacerari ſinamus. Ex eo igitur tempore merito te amavi, ſcribereq; ad te, ita me dij juvent, non ſemel cogitavi. Continui autem me, quia inſtitutam amicitiam noſtram videbam diſtantia locorum impediri, nec poſſe vſu, conſuetudineq; corroborari: id autem quod ad benevolentiam conciliandam facit, intelligebam propè jam partum eſſe, nec vlla amplius teſtificatione egere. Neq; enim te dubitaſſe vmquam puto, quin officium illud tuum, humanitatis eruditionisq; plenum, gratum mihi futurum fuerit. Tu vero ſapientius, feciſti qui inclinationem iſtam voluntatis tuæ erga me, mihi per litteras declarare non inutile eſſe exiſtimaſti. Accipio igitur iſtã lęto animo, gratiasq; tibi ea de re magnas ago: nec ſi potero vnquam deſinam ſtudio meo, atq; omnibus officijs

ipſi

ipſi reſpondere. Quod vero quereris de præſenti ſtatu Germaniæ, vexationeq́; litterarum & ingenuarum artium, moleſta mihi valdè ſunt mala iſtius antea florentiſsimæ partis terrarũ&omni laude abundantiſsimę, ignoſcoq́; dolori tuo. Qui enim premuntur graui alioqui malo, facere non poſſunt, quin querimonijs ſaltem ægritudinẽ animi ſui levent. Sed nos quoq; hic ſpacio duorum annorum multis miſerijs conflictati ſumus. Ex quo .. in ſævißimum bellum, quo Senæ devictæ ſunt, ac penitus everſæ, exortum eſt, propter vicinitatem non parva pars ejus cladis in noſtras etiam ſedes invaſit, vt magna vis hominum apud nos ferro, fame, peſtilentia perierit, ſumptibusq́; infinitis, & oppida omnia, & agri exhauſti ſint. Quare poſſem ego te rogare ijſdem verbis, quibus ille apud lepidiſsimum comicum conſervum ſuum hortatur, ſi vllus in tam miſeris & calamitoſis rebus eſſet ridendi locus, vt ξυναυλίαν κλαύσωμεν ὄλυμπον νόμον. Simili enim fortuna, peſsima illa quidem & iniquiſsima, nos quoq; hic vexati ſumus. Sed quia nihil mœrore querelisque proficitur, quod tu ſapienter te oſtendis facere, omnis cogitatio harum rerum eſt abijcienda, & ea, quæ iniqua ſors jubet, conditioq́; præſen-

tium temporum, si non æquo, forti saltem animo ferenda. Nam quis dubitare potest, quin bellum perturbatioq; ciuitatum non tantum adolescentes ab honestis studijs avocet, traducatq; ipsos ad alias artes, verum etiam extinguat omnem ardorem eorum, qui in litteris diu vixêre, & laudem aliquam illic antea sibi peperere, aut si quos vmquam ingenio suo partus edunt, illos imbecilliores multo, & languidiores edant? quod nunquam hoc tibi vsu venisse in his litteris, quas ad me misisti, non videtur. Nihil enim illis eruditius, nihil elegantius scribi potest, respondentq; illæ mirificè famæ, ac nomini tuo: quod sane nomen tuum, vt debet, apud nos magnum est, impleuitq; aures omnium crebra, jucundaq; tui recordatione. Perge igitur in ista ratione, laboribusq; ac vigilijs tuis excole bonas artes, vinceq; constantia tua, & in optimis artibus perseuerantia, omnem impetum fortunæ, adversantem publicæ vtilitati. Magnam enim, crede mihi, inde gloriam consequêris. Et ego vna cum aliis omnibus, qui bonis artibus delectamur, valde tibi hoc nomine obligati erimus, nec cessabimus vnquam hoc officium tuum meritumq; ingens prædicare. Quod ostendis te cupere à me audire, an aliquid reconditum

adhuc

adhuc, & caligine demersum, siue sedulitate mea, cum prius in manibus foret, emendatum, diuulgare parem; flagraui sane diu desiderio istius rei, nec cum potuj, omisi ista etiam parte prodesse studiis litterarum. Id tamen quod feci, semper magnis cum difficultatibus feci: non quia non aliqua restent adhuc, quæ si in lucem proferrêtur, grata putem studiosis futura: sed quia nostri typographi, qui pauci sunt, & ij exinaniti, ac male vndiq; angustiis horum temporum habiti, ægrè inducuntur ad veteres auctores, Græcos præsertim excudendos. Seruiunt enim lucro, ac propinquum quæstum sectantur. Omnem autem olim machinam adhibui Torrentino, vt impellerem hominem ad Clementē Alexandrinum formis excudendum: quod vix ille spisseq; fecit, sæpe opere intermisso, vt non semel desperarim, me vnquam finem eius rei visurum. Cum autem postea aliquando suadere ipsi cæpissem, vt aliis Græcis scriptoribus imprimendis incumberet, nunquam quod studui efficere potui. Quin etiam cum multum diligentiæ prius posuissem in Æschyli fabulis emendandis: Contuleram enim eruditissimum, gravissimumq; poetam cum antiquis multis exemplaribus, atque ita tanquam nová fabula

bula ipsum auxerã. Integrã enim Agamemnonem nactus sum: cuius fabulæ prima tantum, ac pusilla quidem illa pars, continenti tragędiæ imperitè adnexa reperiebatur. Præterea, quod magnam vim veterum scholiorum, è vetustissimo libro descripseram, ut ita tragicus ille obscurus multis locis, & facilius intelligeretur, & magis etiam venalis redderetur. Cum igitur hæc magno cum meo labore communis vtilitatis caussa fecissem: hoc etiam paruum volumen excudere recusauit. Quare ipsum dedi imprimendum Henrico Stephano, probo & erudito adolescenti, qui mihi se studij plurimum in hac editione positurum pollicitus est. Quando autem ille exiturus sit, affirmare non ausim. Res enim tota in arbitrio Henrici constituta nunc est. Hoc igitur est, quod conatum meum impediuit, nec quod futurum sperabam, quodq; tanquam præconio meo notum studiosis feceram, fiuit, veteres quosdam auctores è direptione incendioq; Græciæ olim ereptos: nunc vero è situ tenebrisq; opera mea erutos, in lucem prodire. Quod præterea me rogas, vt significem tibi, an aliquid cõmenter ac scribam; accuratas declarationes in libellum Demetrij περὶ ἑρμηνείας, prope iam

absolutas

absolutas & confectas habeo, non nullaq; itidē huiuscemodi institui atq; inchoaui, quę cum per valetudinem licebit perficientur. Neque enim ita firmum corpus, & ab omni tentatione vacuum habeo, ut superioribus annis habere consueui. Diuturna enim vehementiq; destillatione laboro, quæ præcipue mihi molesta est: quod impedit veterem meæ vitæ rationem, nec me sinit, qua conficior, legendi scribendique sitim explere. Quibus te dedisse litteras ostendis, honestos ac litteris elegantioribus expolitos iuuenes, vidissem libenter, atque omni, quo potuissem humanitatis genere prosecutus esse, sed huc, nescio qua de caussa non accesserunt. Litteræ ipsæ mihi serò, id est, quattuor ab hoc, quo has scripsi, diebus, per publicum tabellarium redditæ sunt. Gaudeo autem, si quid vnquam feci, quod placeret vestris hominibus, eaq; officia si occasio vmquam dabitur, augere non desinam, postquam illa tantopere placere animaduerti, & tanquam in nobilissimo celeberrimoquè totius Germaniæ theatro spectari cognoui. Gentem sane vestram merito, semper suspexi, insignem multis præclarisque virtutibus; & quæ veteri rei militaris gloriæ addiderit, nouam laudem liberalium studiorum atque eam

quidem

maximam ac præſtantiſsimam, quamuis nunc honeſta iſta, tranquilláque viuendi ratio, ut tu narras, & ut ego coniectura iudicare poteram, impedita ſit ſeditionibus, atq; inteſtinis malis ciuitatum: ſeu quæ verior eſt origo horũ incommodorũ, quæ per multas terras vagantur, & communis otii adeo inimica ſunt. Sed ijs aliquando finem aliquem Deus opt. max. reperiet, ſaluti quietiq; noſtræ proſpiciens. Humanitas vero tua incredibilis, poſtquam in animum induxit me amare, maneat quæſo in voluntate iſta. Ego enim quoque, cum conſuetudine ſimul viuendi longo interuallo terrarum priuemur, perficiam profecto, quocunque potero genere monimentorum, ne animi noſtri alieni inter ſe fuiſſe exiſtimentur. Opto autem tibi cunctas res ſecundas, inprimisque vt omni moleſtia careas, quo diutius poſſis elegantiores litteras adiuuare, ac tibi ipſi immortalitatem acquirere: & ſi hoc, vt egregium diuinumq; bonum conſequaris, amplius te non oportet laborare. Vale Florentia prid. id. Quinctil.

exaratæ sunt, principem locum teneas: insuper ex longo intervallo nouum veteris meæ in te observantiæ signum hac ratione edere volui. Diu enim est, quod neq; coràm neq; per litteras te compellaui, quod solebam olim facere crebrius, cum, ut dignum est adolescente principe, totus esses in studiis optimarum artium; nunc rarius facio, ne vel te negotijs reipub. occupatum interpellem, vel etiam ambitiosior videar, cum intelligam, mei ordinis homines à regibus expeti, non nos vobis debere nosmet obtrudere. Neq; nunc ad te scriberem, ac ne auderem quidem, neq; debere me putarem, nisi scirem, etiam cum in summo isto gradu dignitatis constitutus, & quotidie fortunatißimorũ hominum satellitio stipatus es, te neq; studium sa-

sapien-

pientiæ, quo maximè nunc tibi opus eſt, in vniuerſum abieciſſe, quod facere ſolent, qui neq; ipſi rectè volunt viuere, neq; populorum ſuorum ſaluti, vti reges decet, conſulere: neq; mei prorſus oblitum eſſe, qui te & ipſe ad verum decus ſolebam inflammare, & aliis, quorum auctoritatem apud te valere arbitrarer, auctor eram, vt te in pulcherrimo omnium ſtadio, quod feliciter ingreſſus eras, magnaq; cum noſtra exſpectatione currebas, ſedulo confirmarent. Quin accepi te peramicè mei aliquoties mentionem feciſſe: quod audivi ſumma cum voluptate, non ſolum quod potentiſſimi principis benevolentiam plurimi æſtimarem, cuius opibus quodammodo niterentur fortunæ meæ, ſed etiam quod ex hac tuæ egregiæ in me volun-

 tatis

tatis constantia, haud dubium judicium & de priuata vita tua & de reip. procuratione facerem: etsi fama quoq; ipsa tuas laudes longè lateq; disseminat. Quare neq; dubito, quin hoc officium scribendi, quod subij, probaturus sis, pro tua facilitate & in bonas litteras amore singulari, & quem mitto librum non minus libenter accepturus, quàm si ipsum ego condidissem: immo hoc libentius, quo hæc meliora sunt omnibus lucubratiunculis, quas ipse possem párere: etsi & in hoc elaborabo, vt extet aliquando non aspernandum ingenij mei monimentum, quo testificer plenius meam in te obseruantiam, & animum tuorum in me meritorum memorem. Sed librum hunc futurum tibi gratissimum omnino mihi persuadeo, tum

quia

quia ſunt hic digna lectu omnia, pleraq́ʒ jucunda, multa vitæ vtilia, quod cum multi politi homines animadverterent, non contenti exemplis aliquot epiſtolarum, omnium editionem flagitarunt, quam perpetuò publicæ vtilitati negare nolui, faciliorémq́ʒ me præbui, vt longe plures eli-cerem, tum quia in viris doctrina recondita & vera virtute excellentibus plurimi facis & colis Petrum Victorium. In quo te rectè facere, ſi oſtendere velim, multa de viro illo præſtantiſſimo dicenda forent, quæ omnia verè poſſem dicere: neqʒ non & id feci aliàs, & faciam in poſterum ſæpius: nunc è ceteris hoc vnum referam: nullum in Italia vidiſſe me hominem æquè φιλογέζμανορ, *vti ille eſt, cuiuſmodi paucis ante ſeculis fuiſſe*


Ra-

Raphaëlem Maphæum, ipse & alibi, & Volaterris; cum eius pronepotes, mihi amicißimi adolescentes, me domi suæ humanißimè exciperent, audiui: itaq; & quotidie illius ædes à Germanis frequentabantur. Germanos inquam, semper suspexit Victorius, alienißimus à morbo inuidiæ, quæ ut cibus esse fertur plerisq; mor[illegible], fortitudinis Germanicæ, itemq; integritatis summus & amator & prædicator. Merito igitur nostræ gentis studiosißimum hominem veneramur: neq; tu aberras, neq; indignum tuis majoribus, istaq; amplitudine facis, cum & idem facis, & hunc ipsum librum, quo magis te id facere intelligamus, non aspernaris: quem etiam siue sponte tua, siue rogatu meo, cum vacabis, perleges. Vale, & quemadmo-

admodum hactenus nulla, nisi clementiæ exempla edidisti, ita porro ab iuuenili hac tua ætate toto vitæ spacio tuos populos iustissimè rege, vt & tibi sempiternam gloriam parias, & rectissimi imperij simulacrum posteris tuis relinquas. Rostochio Kal. Mart. Anno M. D. LXXXXXVII.



PETRI VICTORII
EPISTOLARVM AD GERMANOS MISSARVM.
LIBER PRIMVS.
PETRVS VICTORIVS S. D. Joachimo Camerario.


Equo animo patior, vir optime atque eruditissime, me à te in hoc scribendi officio superatum: quamvis hanc laudem humanitatis semper toto animo expetiverim. Cum enim in manus meas venerunt animadversiones tuæ, & quasi censura quædam, in libros eos Ciceronis, quos ego studio meo atque auxilio antiquorum codicum, purgare paullò antè conatus fueram, cognoui animi tui probitatem mirificeq; delectatus sum consilio tuo, qui ea quæ probanda esse duxisti, laudasti, & auctoritate etiam tua confirmasti: de quibus vero aliter sentiebas, ab illis

leviter modiceq; dissensisti, sententiamque tuam sine livore vllo, aut obtrectatione aperuisti: longè alia ratione, ac plerique hodiè faciunt, vt & omnes, qui hæc curant, facile noverunt, & ego sæpè expertus sum. Omnes enim illi occasionem lædendi quærunt, & ea sæpe, quæ recte cogitata, firmaq; sunt, malevolentia ducti convellere conantur. Sed hoc genus hominum improborum relinquamus, & invidia confici morsuq; hoc doloris lacerari sinamus. Ex eo igitur tempore merito te amavi, scribereq; ad te, ita me dij juvent, non semel cogitavi. Continui autem me, quia institutam amicitiam nostram videbam distantia locorum impediri, nec posse vsu, consuetudineq; corroborari: id autem quod ad benevolentiam conciliandam facit, intelligebam propè jam partum esse, nec vllam amplius testificatione egere. Neq; enim te dubitasse vmquam puto, quin officium illud tuum, humanitatis eruditionisq; plenum, gratum mihi futurum fuerit. Tu vero sapientius, fecisti qui inclinationem istam voluntatis tuæ erga me, mihi per litteras declarare non inutile esse existimasti. Accipio igitur istã lęto animo, gratiasq; tibi ea de re magnas ago: nec si potero vnquam desinam studio meo, atq; omnibus officijs

ips

ipſi reſpondere. Quod vero quereris de præſenti ſtatu Germaniæ, vexationeq́, litterarum & ingenuarum artium, moleſta mihi valdè ſunt mala iſtius antea florentiſsimæ partis terrarū & omni laude abundantiſsimę, ignoſcoq́; dolori tuo. Qui enim premuntur graui alioqui malo, facere non poſſunt, quin querimonijs ſaltem ægritudinē animi ſui levent. Sed nos quoq; hic ſpacio duorum annorum multis miſerijs conflictati ſumus. Ex quo .m ſævisſimum bellum, quo Senæ devictæ ſunt, ac penitus everſæ, exortum eſt, propter vicinitatem non parva pars ejus cladis in noſtras etiam ſedes invaſit, vt magna vis hominum apud nos ferro, fame, peſtilentia perierit, ſumptibusq́; infinitis, & oppida omnia, & agri exhauſti ſint. Quare poſſem ego te rogare ijſdem verbis, quibus ille apud lepidiſsimum comicum conſervum ſuum hortatur, ſi vllus in tam miſeris & calamitoſis rebus eſſet ridendi locus, vt ξυναυλίαν κλαύσωμεν ὄλύμπον νόμον. Simili enim fortuna, pesſima illa quidem & iniquiſsima, nos quoq; hic vexati ſumus. Sed quia nihil mœrore querelisque proficitur, quod tu ſapienter te oſtendis facere, omnis cogitatio harum rerum eſt abijcienda, & ea, quæ iniqua ſors jubet, conditioq́; præſen-

tium temporum, ſi non æquo, forti ſaltem animo ferenda. Nam quis dubitare poteſt, quin bellum perturbatioq́; ciuitatum non tantum adoleſcentes ab honeſtis ſtudijs auocet, traducatq́; ipſos ad alias artes, verum etiam extinguat omnem ardorem eorum, qui in litteris diu vixêre, & laudem aliquam illic antea ſibi peperere, aut ſi quos vmquam ingenio ſuo partus edunt, illos imbecilliores multo, & languidiores edant? quinquam hoc tibi vſu veniſſe in his litteris, quas ad me miſiſti, non videtur. Nihil enim illis eruditius, nihil elegantius ſcribi poteſt, reſpondentq́; illæ mirificè famæ, ac nomini tuo: quod ſane nomen tuum, vt debet, apud nos magnum eſt, impleuitq́; aures omnium crebra, jucundaq́; tui recordatione. Perge igitur in iſta ratione, laboribusq́; ac vigilijs tuis excole bonas artes, vinceq́; conſtantia tua, & in optimis artibus perſeuerantia, omnem impetum fortunæ, adverſantem publicæ vtilitati. Magnam enim, crede mihi, inde gloriam conſequêris. Et ego vna cum aliis omnibus, qui bonis artibus delectamur, valde tibi hoc nomine obligati erimus, nec ceſſabimus vnquam hoc officium tuum meritumq́; ingens prædicare. Quod oſtendis te cupere à me audire, an aliquid reconditum

adhuc, & caligine demersum, siue sedulitate mea, cum prius in manibus foret, emendatum, diuulgare parem; flagraui sane diu desiderio istius rei, nec cum potuj, omisi ista etiam parte prodesse studiis litterarum. Id tamen quod feci, semper magnis cum difficultatibus feci: non quia non aliqua restent adhuc, quæ si in lucem proferrētur, grata putem studiosis futura: sed quia nostri typographi, qui pauci sunt, & ij exinaniti, ac male vndiq; angustiis horum temporum habiti, ægrè inducuntur ad veteres auctores, Græcos præsertim excudendos. Seruiunt enim lucro, ac propinquum quæstum sectantur. Omnem autem olim machinam adhibui Torrentino, vt impellerem hominem ad Clementē Alexandrinum formis excudendum: quod vix ille spisseq; fecit, sæpe opere intermisso, vt non semel desperarim, me vnquam finem eius rei visurum. Cum autem postea aliquando suadere ipsi cœpissem, vt aliis Græcis scriptoribus imprimendis incumberet, nunquam quod studui efficere potui. Quin etiam cum multum diligentiæ prius posuissem in Æschyli fabulis emendandis: Contuleram enim eruditissimum, gravissimumq; poetam cum antiquis multis exemplaribus, atque ita tanquam novā fabula

bula ipsum auxerã. Integrã enim Agamemnonem nactus sum: cuius fabulæ prima tantũm, ac pusilla quidem illa pars, continenti tragędię imperitè adnexa reperiebatur. Præterea, quod magnam vim veterum scholiorum, è vetustissimo libro descripseram, ut ita tragicus ille obscurus multis locis, & facilius intelligeretur, & magis etiam venalis redderetur. Cum igitur hæc magno cum meo labore communis vtilitatis caussa fecissem: hoc etiam paruum volumen excudere recusauit. Quare ipsum dedi imprimendum Henrico Stephano, probo & erudito adolescenti, qui mihi se studij plurimum in hac editione positurum pollicitus est. Quando autem ille exiturus sit, affirmare non ausim. Res enim tota in arbitrio Henrici constituta nunc est. Hoc igitur est, quod conatum meum impediuit, nec quod futurum sperabam, quodq; tanquam præconio meo notum studiosis feceram, fiuit, veteres quosdam auctores è direptione incendioq; Græciæ olim ereptos: nunc vero è situ tenebrisq; opera mea erutos, in lucem prodire. Quod præterea me rogas, vt significem tibi, an aliquid cõmenter ac scribam; accuratas declarationes in libellum Demetrij περὶ ἑρμηνείας. prope iam

absolutas

maximam ac præſtantiſsimam, quamuis nunc honeſta iſta, tranquilláque viuendi ratio, ut tu narras, & ut ego coniectura iudicare poteram, impedita ſit ſeditionibus, atq; inteſtinis malis ciuitatum: ſeu quæ verior eſt origo horũ incommodorũ, quæ per multas terras vagantur, & communis otii adeo inimica ſunt. Sed ijs aliquando finem aliquem Deus opt. max. reperiet, ſaluti quietiq; noſtræ proſpiciens. Humanitas vero tua incredibilis, poſtquam in animum induxit me amare, maneat quæſo in voluntate iſta. Ego enim quoque, cum conſuetudine ſimul viuendi longo interuallo terrarum priuemur, perficiam profecto, quocunque potero genere monimentorum, ne animi noſtri alieni inter ſe fuiſſe exiſtimentur. Opto autem tibi cunctas res ſecundas, inprimisque vt omni moleſtia careas, quo diutius poſſis elegantiores litteras adiuuare, ac tibi ipſi immortalitatem acquirere: & ſi hoc, vt egregium diuinumq; bonum conſequaris, amplius te non oportet laborare. Vale Florentia prid. id. Quinctil.

PETRVS VICTORIVS S. D. JOachimo, Joachimi F. Camerario.

LItteræ tuæ mihi redditæ sunt X. Kalend. Mai datæ, cumque illis epiſtola patris tui, optimi & clariſsimi viri, cui epiſtolæ non multò poſt diligenter reſpondi. Cum autem facultatem hic habuerim mittendi eam ſatis tuto, vt ſpero, volui te omni hac moleſtia liberare, nec tamen non oportere iudicaui notum tibi eſſe, quid fecerim, ne penderes diutius animi, verereq; ne faſciculus ille litterarum mihi non redditus eſſet, ſimulq; cum te amare cæperim, ſtatim vt cognoui, ex quo patre natus eſſes, eaque de cauſſa cupiam tibi, vt debeo, quacunque re poſſum prodeſſe: loqui tecum aliquantulum volui de ſtudiis litterarum, in quibus te video volutarj, & erga illa, ſi fieri per me poteſt, benè animatum,

magis

magis adhuc inflammare. Nihil enim eſt, quod tibi maiorem voluptatem allaturum ſit, induſtriamq; tuam in altiore loco poſiturum. Arti autem illi perdiſcendæ te dediſtj, vt audio, quæ honeſta eſt, & hominum generi ſalutaris. Illud enim Homeri tibi notum eſſe ſcio, qui eo etiam in loco, vbi multis modis commune bonum procurari poterat, vbiq; imprimis militum virtus ita in honore habebatur, non dubitauit tamen clara voce canere: ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων: ac verè id quidem, cum ſalutem medicus hominibus det, ſanosq; ille multos ſtúdio & opera ſua in vita retineat, qui in morbi ac vulnerum dolore, niſi præſto ipſe fuiſſet, abſumpti cito fuiſſent. Et finis igitur, quem tibi propoſuiſti, ſplendidus eſt, dignitatisq; plenus: & ad eum omnibus animi ac corporis viribus contendere debes: quod etiam vt facias, à te poſtulat locus ipſe, in quem veniſti. Cum enim Patauium te contuliſti, quæ vrbs eſt domicilium omnium virtutum, & tanquã mercatus quidam bonarum artium, eodem tempore te inde ornatum, & copioſè inſtructum diſceſſurum ſpondiſti. In quam enim


reprehensionem incurrant, vel vituperationem potius, qui ex aliquo celebri gymnasio domum inanes redeunt, frustraq; illic multos annos consumpserunt, testimonio eiusdem grauissimi poëtæ intelligitur, qui communiter inquit de longa peregrinatione, quæ fructus nullos tulit, omniq; irrito conatu: αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι: quæ sententia veteribus ita probata est, vt omnium ore celebraretur, nec quicquam verius sapientiusq; dici potuisse existimaretur. Sed nihil est, quod magis te in hoc itinere opt. artium retinere debeat, atque etiam aliquem stimulum tibi admouere, vt citius ad metam peruenias, quàm auctoritas patris tui: qui cum omni laude floreat, celebreturq; summo consensu eruditorum omniũ, te non respondere gloriæ ipsius, neq; imitari instituta, ac vitam maxime spectati viri, infamiæ plenum, ac dedecoris esset. Decet igitur te maculam hanc fugere, vel potius maiorem, quàm ille consecutus esset, laudem ac gloriam, si fieri vllo pacto potest, adipisci conari, vt postea vna cum Sthenelo Homerico glorieris: ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ᾽ ἀμείνονες εὐχόμεθ᾽ εἶναι. Nescio autem, quomodo, dum te hortari studeo, desiderioque tuæ laudis incensus sum, tertium iam me,

quod in ſcribendo non valde conſueui, ad Homeri magniloquentiam contuli. Puto autem id factum eſſe diuino conſilio, vt quod per me efficere non potuiſſem, & tamen illud valde optarim, auctoritate ſummi poëtæ obtineretur: nomenq; Homeri valeret ad te impellendum, & ad curſum iſtum honoris, in quo verſaris magis inflammandum. Vale, ac quæ fideli ſinceroque animo tecum de hoc egi, in bonam partem accipito. Si qua vero in re, dum iſtic degis, tibi opera mea vtilis eſſe poteſt, peto à te maiorem in modum, vt me admoneas. Habeo enim iſtic nõnullos ſtudioſos mei, qui rogati à me cõmodis tuis non deerunt. Fieri autem poteſt, vt, cum tam longè domo abſis, aliqua re aliquando egeas. Quod ſi ſenſero non patiar, vt te mihi pater tuus fruſtra commendaſſe videatur, cuius voluntati magnopere ſatisfacere cupio. rurſus vale.

PETRVS VICTORIVS

S. D. Ioanni Alberto, duci Megapolitanorum.


Agna lætitia me perfuderunt litteræ tuæ, princeps humaniſſime, gauiſusq; maximè ſum, officia illa, quæ à me in tuos ho-



mines collata sunt, grata tibi extitisse: & cum mea sponte procliuis semper fuerim ad iuuenes cupidos bonarum artium adiuuandos, præsertim si ad virtutem indoles in illis apparuerit; quanto magis nunc ero, postquam cognouj á tanta auctoritate studia hæc mea approbari, & tam magnam mercedem honoris ac gloriæ propositam esse huic labori meo? Conabor igitur, vt tu me hortaris, & omnes ingenii neruos in hoc contendam, vt quotidie magis prosim probis ac studiosis adolescentibus, eosq; vndique ornatos, & quantum per me fieri poterit, omni virtute instructos per me reddam: in primis autem, vt decet, vestris præsto semper ero, cum tam longè ad me venerint, & operam diligentiamq; meam tanti æstimarint, vt tamdiu abesse à suis, vt mecum viuant, & à me erudiantur, paruj duxerint. Quod munusculum meum tam libenter accepisti, ornastique ipsum testimonio tuo, vel potius summo honore verborum in cælum extulisti; ago tibi gratias immortales, ac si quid aliquando huiuscemodi edidero, quod cito, vt spero, erit, statim ad te mittam: non quia labores, vigiliasq; meas tanto viro dignas putem, sed quia hoc voluisti, ac me sedulo, vt id facerem, rogasti. Parebo igitur volun-

luntati tuæ, cui etiam cæteris omnibus in rebus obtemperarem, vt optimi principis, & qui, vt perſpexi, omnibus ſuis viribus, atque opibus virtuti fauet, cum tantopere honeſtæ beatæq; vitæ ſuorum proſpiciat. Quod ſi cæteri iſtius ordinis, ac loci facerent, atq; ita propenſi forent erga ingenuas artes, multo plures mortales vita atq; moribus florerent, atq; ipſi ſibi æternam gloriam hoc pacto pararent. Deus opt. max. tibi propicius ſit, rectaq; tua conſilia ad exitum perducat. Vale.

PETRVS VICTORIVS S. D. Ioanni Caſelio.




Vltis ijsq; minimè incertis ſignis perſpexi, Caſeli optime, cum hic eſſes, te probum virum eſſe ac valdè ſtudioſum amicórum: quam ego ſemper veram & ſummo ſtudio perſequendam laudem iudicaui. Omitto nunc acumen ingenii tui, ſcientiamq; egregiam & Græci & Latini ſermonis, quibus tu etiam animi doribus non mediocriter ornatus es. Vt verum tamen fatear, nunquam à te tantam benignitatem exſpectaſſem, nec officium, ita ad me or-

nandum aptum, quale istud fuit, quod opera studioq; tuo, vt suspicor, factum est, vt Ioannes Albertus dux vester, humanissimus profecto, optimusq; princeps, litteras ad me mitteret, quibus gratias agit, quod me suis hominibus valde beneuolum facilemq; præbuerim, atq; ipsos cura laboreq; meo & eruditiores, & vita moribusq; politiores domũ remiserim, rogatque sedulo, vt idem in reliquis faciam, qui adhuc apud nos manent honesti iuuenes, & propter modestiam excellensque ingenium omni laude honoreq; dignj. Ago igitur tibi ego quoque gratias immortales, quod me participem huius voluptatis fecisti, quæ sine vlla dubitatione magna ac iusta est, studuistiq;, vt nomen meum ad aures vestrorum principum perueniret, celebrareturq; ab ipsis amore quodam & beneuolentia singulari. Duci sane isti vestro respondi statim, & quemadmodum te semper præstare conabor, ita etiam verbis ei promisi, me nullo tempore defuturum commodis vestrorum iuuenum, fidemq; meam ipsi, tanto viro, libenter adstrinxi, quam certe nunquam fallam. Tibi vero pro isto tanto beneficio (beneficium enim ego istuc, quod fecisti non mediocre numero) omne meum studium, omnem industriam, omni

tua

tua in re polliceor, rogoq́;, vt si quid in me est, quod tibi absenti, tuisq́; prodesse aliquo modo posit, eo liberè vtare. Nihil enim mihi gratius contingit, quàm seruire vtilitatibus amicorum, in quibus tu non postremum locum obtines. Vale, ac tota mente recole studia, quibus apud nos diligenter operam dedisti, nec patere elabi tibi ex animo præcepta optima & maximè apta ad vitam hominum informandam, quæ à summo auctore sapientiæ, & doctissimo viro Aristotele accepisti. Florentiæ Idib. Iun. M. D. LXIII.

PETRVS VICTORIVS
S. D. *Othoni Hamio.*



Edditæ mihi sunt tuæ litteræ, Otho suauissime, IV. id. Octobris datæ, quibus cognoui de bona valetudine tua, quod mihi periucundum fuit. Incipiebam enim de ea iam sollicitus esse, metuebamq́;, ne tibi aliquid maioris incommodi, vt sæpe fit in tam longo itinere, accidisset. Gaudeo igitur hunc meum timorem inanem fuisse, tibiq́;, vt debeo, gratias ago, qui

ſtatim, vt potuiſti, hanc curam ex animo meo dempſeris. Quod nartas in epiſtola illa, te crebris recordationibus noſtri confici, deſiderareq; vehementer meos ſermones, puto me hercule verum eſſe. Cognoui enim ingentem vim amoris tui, teque, plus etiam quâm oporteret in omni re mihi tribuere ſolitum, memoria teneo Remedium autem iſtud, quod excogitaſti huius mali, vt tu appellas, quod meis ſcilicet congreſsibus cares, erit tibi ſemper præſto. Nunquam enim patiar te ad me ſcribere, quin ſtatim tibi reſcribam, ac ſi quid etiam mandes, libenter faciam: quod tuum officium erit etiam mihi valdè accommodatum. Ipſe etiam quoq; non minorem voluptatem capiam ex tuis litteris, egeoque prorſus hoc ipſo ſolatio, quo leniam deſiderium tui abſentis, ex quo præſente ob mirificam animi tui probitatem, ſuauiſſimosq; mores, quotidie noua aliqua lætitia perfundebar. Ne autem argumentum litterarum aliquando nobis deſit, confugiemus ad ſtudia noſtta, indèq; auxilium petemus: quod te hortor vt facias; & ipſe quoq; cum opus erit, eodem recurram. Multum enim valebit ad ægritudinem iſtam leuandam, deſideriumq; huius noſtræ terræ minuendum, (nolim enim te

peni-

penitus ex animo tuo ipsum extinguere.) si cogitabis, vt sapientissimus ille, politissimusq; scriptor ad familiarem suum scripsit non minore honore, laudeq; dignum in studiis optimarum artium. Eodem enim ipse quoq; dolore torquebatur, nec poterat æquo animo abesse à Musis, veteribus suis oblectationibus, & si eo tempore in publicis, amplisq; muneribus obeundis occupatus, erat: multum, inquam, valebit ad molestiam mitigandam, si cogitabis, nos non solum nobis natos esse, sed patriæ ac parentibus, ceterisq; necessariis. Cum igitur non paruo interuallo temporis à patria absfueris, honestisq; tuis, & nobili viro dignis voluptatibus indulseris, debes nunc illorum commodis seruire, & desideria ipsorum iusta explere, qui non sine causa te cupiunt domi manere, tuoq; iucundo aspectu sermonèque quotidie fruj. Salutaui autem amicos tuos, qui multi sunt, ac te plurimum diligunt; nec sane aliter facere possent, nisi omnes humanitatis expertes forent. Inhumanum enim prorsus, & durum nimis esset, ipsos non firmam in animo suo retinere memoriam optimi, & humanissimi adolescentis, & qui omni tempore, quo apud nos vixit, exemplum se quoddã mirificum præbuit continentiæ & omnis generis virtutis. | Vale Florent. PE

PETRVS VICTORIVS S. D. Ioanni Caselio.

NOn commisissem vllo pacto, Caseli optime, vt ad te non scriberem, gratiasq; tibi agerem, cum cognoui studio tuo & beneuolentia factum esse, vt princeps tuus maximè ille quidem illustris, &, vt video, suorum amantissimus, mihi litteras mitteret, & operam meam tantopere laudaret, in suis iuuenibus erudiendis & ad honestas artes cohortandis positam. Scripsi igitur, vt debebam, & officio illo functus sum, quod non poteram sine graui culpa omittere. Miror autem epistolam illam ad manus tuas non peruenisse; sed ut spero mittetur ad te vna cum exemplari illarum mearum litterarum, quod ostendis te à Roter-mundio diligenter petisse. Fuit enim, ut videor mihi recordari, in eodem fasciculo inclusa. Quod si forte amissa est, rursus eadem ad te mittetur, ne careas illa mea lucubratiuncula, & vt intelligas, me grato animo beneficiũ illud tuum accepisse. Ita enim prorsus ipsum appellandum existimo. Quod enim maius beneficium in quépiam non ;o-

mnino

mnino ſordidum & auarum hominem conferri poteſt, quàm ornari ipſum ab honeſtiſſimo & clariſsimo viro, & teſtimonio ipſius valde celebrari? ſed ſit huius rei jam finis. Oſtendit mihi ſuperioribus diebus Otho noſter orationem tuam grauem & eruditam: id eſt προτρεπτικὸν: ad iuvenes veſtros ad ſtudia litterarum inflammandos, & ad benè honeſtèque viuendum impellendos, quam legi libenter, & mirificè animo meo probaui. Perſpexi enim illa fideliter à te dicta fuiſſe, & ex intimis tuis medullis prodijſſe, qui quemadmodum ipſe à vitiis totus abhorreres, ita etiam ut ceteri omnes, omne flagitium ac dedecus fugerent, operam dares: & ſane hæc eſt vera philoſophia, vt commemoras vitam & mores expolire, & non tam ſtudium ponere in inueſtigatione abditarum obſcurarumq; rerum, quàm in virtute ipſa ornanda, ipſiusq; honeſtis factis merito celebrandis: Quiq; hanc viam monſtrant adoleſcentibus, & qui fructus inde naſcantur, declarant, illi vehemẽter prodeſſe humano generi exiſtimandi ſunt, ac veri duces beatæ vitæ, auctoresq; ſapientiæ profecto habendi. Perge igitur, & quantam maximam potes, operam da, ut magnum amorem veræ dignitatis in animis ipſorum

psorum excites, & cunctas fibras vitiorum, si quæ in illis sunt, falsasq; opiniones è pectoribus eorum penitus eruas. Nullum enim maius beneficium illis dare potes. Non magnum autem est negotium, & vita sua, quæ bene agatur, & oratione honesta impellere adolescentes ad virtutē, præsertim bene eductos, siue etiam non omnino perditos & desperatos. Nam [& illa suo splendore ac pulchritudine ad se trahit, & magna vis est copiosæ & ornatæ orationis, quæ profecto in te est, quemadmodum ego ex illo procemio tuorum laborum perspicere potui: vt taceam, quantum valeant ad hanc rem spectati mores, factaq; alicuius probi ac gravis viri, cum etiam non defuerint, qui existimauerint, quamvis falso, hanc vnam rem satis esse ad id opus efficiendum, vnde extitit versus ille Menandri, præclarè, vt arbitror, tibi cognitus, τρόπος ἔσθ᾽ ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος. Non possem autem facile tibi narrare, quantopere mihi placueris, qui Homerum adolescentibus istis interpretandum susceperis, putauerisq; singulares huius diuini poëtæ virtutes à te sedulo explicatas, posse plurimum ipsorum ingenia exornare, & ad honestatem omnibus in rebus persequendam inflammare.

Nihil

Nihil enim arbitror maiori consilio factum esse. Suspicor vero ab Iliadis principio potissimum, quod etiam initium est vtriusq; operis, exordium duxisse. Hoc enim mihi inprimis argumentum convenire videtur studiis naturisque Germanorum, quæ magnæ excelsæq; sunt, & bellica virtute disciplinaque in primis delectantur. Et sane existimatur: Homerum, cum mens, ipsiusque spiritus vigeret, in graue hoc turbulentumque opus incubuisse: ad alterum vero tranquillius sedatiusq; scribendum se contulisse, cum iam animi ipsius vires languescere inciperent, & senectute imbecilliores factæ essent. Quare in hoc etiam illum, quemadmodum in ceteris omnibus rebus multum vidisse: qui quod sibi omni tempore conveniret præclarè cognouerit. Ostenderem autem libenter, &, vt arbitror, facile, quæ me caussæ moverint, vt tantopere iudicium tuum comprobarim, sed quia id minime necessariũ esse duco, vel superuacaneũ potius, omni huiusmodi cura supersedebo. Video enim ex epistola tua, quę cũ oratione ipsa cõnexa est, tibi eximias virtutes huius pręclari poętæ perspectas & exploratas esse: nec cessare te etiã ipsas aliis prędicare, & magno iustoq; honore verborũ affi-

cere.

cere. Sed quis quæso non laudauit Homerum, & admirabiles ipsius laudes in cælum non tulit? aut quis putaret ipsum præcone vllo nouo & laudatore egere? qui nactus est mirificos sui amatores, veteres illos præstantissimos viros, & quasi signiferos totius sapientiæ, Democritum, Platonem, Aristotelẽ, Plutarchum, atq; adeo cunctos, qui aliquid ingenio aut iudicio valerent? Nam valeret etiam non parum ad ipsum ornandum, quod non suis solum Græcis, doctissimis viris, mirificè probatus fuit, sed etiam Latinis omnibus scriptoribus, quorũ etiam admirabili consensu valde celebratus est: atque ita denique illis commendatus, vt nemo olim facilè inueniri Romæ posset ingenuus puer, qui non ipsum accuratè legisset, ac memoriæ etiam totum mandasset. Sed reuoco me: paulatim enim sermo habitus de hoc excellenti poëta, propter summũ amorem, quo illum prosequor, imprudentem & inuitum eò me rapiebat, quò mihi accedendum hoc tempore non esse antè statueram. Redibo igitur ad te, vel potius cum sensum animi mei totum jam patefecerim, ac te ob istud tuum consilium, præclarumque opus, quod tibi proposuisti, merito laudarim, finem faciam tecum loquendi. Volui

sui autem, si modo præstare id & efficere potui, voluntati tuæ satisfacere, qui huiusmodi aliquid in illis tuis ad Othonem litteris, à me cupere videbare. In qua re tractanda, præterquam quod id ex animo ac cum magna voluptate feci, nec discessi vllam in partem à studio, ac iudicio meo, eò etiam libentius versatus sum, quia magna mihi âbs te, & honesta merces huius pusilli mei laboris proposita est, id est, laus ac gloria, cuius obtinendi semper ego incredibili desiderio inflammatus fui, si quid est in me, quod honore dignum sit, ac tanto bono compensari debeat. Vale, & de me omnia tibi pollicere, quæ à probo viro fideliq; amico proficisci possunt. Florentia IV. Kal. Apr. Anno M. D. L X I V.

PETRVS VICTORIVS, S. D. Joachimo Friderico Marchioni Brandeburgensi.

STatim ut ego audiui ex litteris probi & eruditi viri Ioannis Caselii, te inflammatum studio bonarum artium, etiam in eo honesto itinere aliquantum progressum esse, magnopere lætatus sum,

cepiq́, ex ea re voluptatem non paruam. Cũ enim semper ipse ingenuis studiis delectatus sim, atq; omnem pæne vitam in ipsis consumpserim: quomodo non gaudere debeo, cum video summo loco natos adolescentes iisdem artibus teneri, atq; omnibus viribus veram laudem ac dignitatem persequi? Gauisus igitur sum valdè, teq; vehementer, optime & clarissime adolescens, subito amare cæpi. Cognoui enim facile, si in eadem præclara voluntate permanseris, & tibi istam rem magnæ laudi honoriq; futuram, & te quoq; ob nobilitatem amplitudinemq́: tui generis, dignitatis nonnihil his litteris allaturum. Quis enim dubitat, quin recta institutio cognitioq́; artium honestarũ plurium ornamenti adportet iuuentuti, & antiquissimam etiam quamq; stirpem multum decorare valeat? Non sunt contemnenda, quæ nostris in corporibus & extra ipsa etiam collocata sunt. Sed tamen intelligendum est, & á fortuna illa nobis dono data, nec vlla nostra industria parta, & in ipsius rursus potestate, ne dicam temeritate versari: virtutem autem eximium animi bonum, nostro labore comparatam, eandemq; in stabili ac firmo solo constitutam. Naturam vero hanc esse quam ostendi harum rerum, non solum do-


doctissimi viri docuerunt, qui non desinunt clamare, diuitias & opes vacuas à virtute nihil iuuáre, nullumq; in se verum emolumentum habere, verum etiam poëtæ. Idem enim ipsi quoq; sæpe testantur, & illis, qui audiunt aut legunt eorum scripta, persuadere conantur. Vt aliorum autem nunc testimonia, quæ passim se mihi offerunt, ac crebra apud ipsos sunt, relinquam; Bacchylides quoq;, qui non omnino grauis ac seuerus poëta fuit, in cantibus certe ille lyræq; sonis, ingenium suum omne contriuit, aliquando cecinit: φάσωμεν λιστὸν κῦδος ἔχειν ἀρετάν: πλοῦτος δ' ἤ καὶ δειλοῖσιν ἀνθρώπων ὁμιλεῖ. Sed non oportet in re tam plana confirmanda diutius laborare, etsi vulgus & imperiti aliter de hoc sentiunt. Nam quin tu quoq; lucis aliquid ac splendoris his studiis allaturus sis, exemploq; tuo non paucos excitaturus, dubitandum non est: non quia illa obscura sua vi, ignobiliaq; sint: contra enim nulla alia de caussa ipsa ingenua liberaliaq; vocata sunt, nisi quia conueniunt ingenuis, clarisq; hominibus, nihilq; in se humile aut sordidum habent, vt aliæ nonnullæ quæ quæstui potius faciendo, quàm animo expoliendo inuentæ sunt: sed quia errore quodam horum temporum, atque adeò

animi cæcitate, locupletes ac fortunati homines, non valdè ipsa diligunt, nisi potius aliquis credat id fieri, quia illi deprauati sunt corporis voluptatibus, deliniti(que) illecebris ac præstigiis earum, toto animo ipsas consectantur. Quæ vita quàm turpis sit, & honesto grauiq; viro indigna, neminem fallit. Hoc igitur fortasse facit, vt ab his humanissimis litteris illi abhorrere videantur. Nam ipsi quoque pulchritudinem ipsarum elegantiamq; per caliginem salrem videant necesse est. Nulla enim est tanta inscitia, quæ penitus ignorare litteras, & nullam partem luminis ipsarum decoris(que) sentire vnquam possit. Tanto igitur maiore tu laude & commendatione dignus eris, qui relicta mala consuetudine reliquorum, nec imitans multos tui loci atque ordinis iuuenes; toto pectore incumbis rectis studiis, ac dignæ adolescenti nobili disciplinæ. Prorsus enim efficies id, quod dixi, vt in veterem locum istic, vnde apud omnes ferè deiectæ sunt, has humaniores litteras restituas. Perge igitur, ac magno forti(que) animo sustine labores, qui in ipsis primo percipiendis deuitari nullo pacto possunt. Nascentur enim inde redundabüntque in te breui magnæ ac variæ voluptates, eædem(que) sinceræ ac solidæ, nec vlla

dolo-

doloris molestiáq; coniunctione contaminatæ. Non possunt vero tibi deesse duces in hac honesta ac gloriosa via: inprimis autem tibi præsto semper erit Caselius, qui te valdè diligit, & amore tuarum laudum incensus est, quiq; mihi auctor fuit, vt ad te scriberem, ac multa de tua optima indole summóque ingenio prædicauit. Posse autem ipsum hoc efficere, & omnes conatus tuos præclarè regere & adiuuare compertum habeo. Ipse etiam, quacunq; re possum absens, ac tanto interuallo locorum seiunctus, honori tuo ac gloriæ seruiam, pro eximio amore, quo semper veram dignitatem & honestatem colui ac veneratus sum. Vale, & voluntatem hanc meam in te egregiam quæso amplectere. Florentia IIII. K. April. M.D.LXIIII.

PETRVS VICTORIVS
S. D. Gotislobo Rotermundio.


Vm familiaris noster Otho, probus & vndiq; spectatus adolescens hinc decederet, non potui non aliquid ipsi litterarum ad te dare. Nec enim post discessũ à nobis tuum occasio vlla extitit scribendi.

Quamuis autem ne nunc quidem noui aliquid, quod ad te ſcribam, magnopere habeam: tamen argumentum epiſtolæ erit veteris noſtri amoris accurata recordatio, quæ plurimum ſuauitatis in ſe habeat neceſſe eſt. Nam & tu, dum hic fuiſti, plurimum me dilexiſti, vel, ut verius loquar, diligenter obſeruaſti, & ego te quibuscunq; rebus potui, iuui atq; ornauj. Fuerunt ſanè illa, quæ in te officia contuli, leuia & puſilla: ſed cum maiora à me proficiſci non potuerint; id vero quod feci cum libenter ac ſtudioſe præſtiterim: arbitror me merito accuſari non poſſe. In diſceſſu vero tuo planè aperteq; perſpexi, te vehementer delectatum fuiſſe conſuetudine noſtra. Ita enim à nobis abiiſti, & ea ſigna mœroris illo tempore dediſti, vt non in patriam redire, ſed à tuis propriisq; ſedibus diuelli viderere: quod quemadmodum mihi quadam ex parte placuit, & eximiæ cuiusdam pietatis ſatis certum indicium fuit, ita non omnino probaui, te, poſtquam ea, quæ volebas, confeciſſes, & multis bonis ingenuisq; artibus animum expoliſſes, quaſi inuitum, domum reuerti, doloremq; non paruum ex dolore tuo illo cepi. Quod ſi commodo tuo id fieri potuiſſet, ac ſine magna moleſtia tuorum, qui te poſt ſatis longum

gum temporis interuallũ videre cupiebant, ipse quoq; hortatus te essem, vt diutius apud nos commorarere. Sed omnia, ut opinor, rectè ordineq; gesta sunt. Opto autem, & à Deo opt. max. summis precibus peto, vt res tuæ istic secundæ sint, & vt, quod dignum probitate virtuteq; tua est, magnos fructus feras tuorum magnorum laborum, vulgoq; ab omnibus diligare & carus habeare. Nostri quoq; iuuenes, qui in iisdem tecum litteris versabantur, tua caussa cupiunt omnia, ac crebro mecum de singulari tua humanitate, & egregiis animi dotibus loquuntur: dicerem etiam, ni vererer, ne assentatoris nomine tibi repente suspectus fierem, (scis enim me minimè blandum esse) maiorem partem ciuium, atq; adeo vniuersam ciuitatem, te vna cum optimis tuis sodalibus in oculis ferre, quod cum tanto tempore hic vixeritis, assidueq; illa studia & facta vestra attenderit, nihil vnquam fieri à vobis viderit, quod affine alicui culpæ aut errato esset: vel potius quod non magnopere probari & summis laudibus in cælum ferri posset. Vale, ac me, quamuis nunc remotum longinquo spacio terrarum, ama. Florentia IIII. K. Apr. M. D. LXIIII.

PETRVS VICTORIVS S. D. Joanni Caselio.

CVnctos, qui ad me cum tuis litteris venient, videbo libenter, & quacunque re potero ipsos ornabo. Quanto plures autem venerint, tanto magis mihi gratum feceris, maioreq; me perfuderis voluptate. Non est igitur quod te purges, & quasi tibi ignosci à me postules. Neque enim culpæ quippiam, aut vitii in isto facto est, sed contra laudis plurimum & dignitatis, præsertim cum illi, quos amas, commendasq;, qui ab omnibus probis & honestis viris amentur, cariq; habeantur, digni sint. Neque enim fieri potest, vt aliquis diligat, nisi parem sibi, & æqualem. Te autem bonum virum, & multis, magnisq; animi dotibus instructum semper iudicaui, & quotidie magis in hac sententia confirmor. Perges igitur, institutùmque istud tuum rectum seruabis. Ioan. Schofferus Aemilianus, qui heri me salutauit, & epistolam tuam mihi reddidit, visus est mihi ex longo & accurato sermone, quē mecum habuit, homo eruditus & satis ingeniosus, dignusq; demum tua commendatione. Ei ego quæ potui officia præstiti, in mul-

multis occupationibus, nec satis commoda valetudine. Cum autem perspexissem ipsum esse φιλοθέωρον, curaui, vt spectaret omnia, propter quæ ciuitas hæc nostra hodie à vestris hominibus visitur: quæ multa sanè sunt, vt scis, & præclara: quæq; non sine caussa capiunt animos politorum hominum, inuitantq; ad se diligenter videnda. Existimo autem me à te non paruum beneficium accepisse, qui occasionem mihi dederis, talem uirum cognoscendi, similitudinemq; amicitiæ quandam cum eo iungendi. Nullum enim ego puto quæstum maiorem, quàm conciliare mihi beneuolentiam doctorum & proborum virorum. Quare, vt jam suprà dictum est, maneto in isto proposito: & cum aliqui vestri generis, honesti prorsus ac multis magnisq; artibus clari, hac iter facient, hortare, vt ad me adeant. Polliceor autem tibi, me nullis ipsorum commodis, desideriisq; vnquam defuturum. Tu verò valebis, ac me, vt sane facis, amabis. Florentia VIII. Id. April. Anno M. D. LXV.

PETRVS VICTORIVS S. D. Ioachimo Friderico Marchioni Brandeburgensi.

PEruenit tandem Caselius Florentiam, cum Bononiæ prius longo, & periculoso morbo cõflictatus esset. Eius aduentus multis de causis fuit mihi gratissimus. Nam diligo valde hominem, & non sine caussa diligo. Præter enim suauissimos mores, summam probitatem, singularem doctrinam, quibus omnibus ingenii dotibus præclarè instructus est, intellexi illum & multis signis plane cognoui, magnum amatorem mei esse, & quasi præconem quendam meæ laudis, & nominis. Quare cogor illum amare, & toto animo complecti, quod equidem iam pridem feci, & summa semper cum voluptate feci: nunc autem ardentius id faciam, postquam video ipsum tantopere tibi, adolescens optime, & princeps præstantissime, carum esse, cui debeo quacunq; re possum seruire, & totum me ad arbitrium, studiumq; tuum fingere. Cum vero quod ad hoc pertinet, te merito antea suspicere, & admirari cœpissem, secutus testimonia

nia multorum, qui de indole tua, & satis certis eximiæ virtutis notis, multa mihi prædicarant; ex hac die acrius in eam curam incũbam, quia ex epistola tua, plenissima amoris, & incredibilis cuiusdam humanitatis, id verum esse, ac prorsus ita se rem habere, perspexi. Amaui enim in ipsa elegantiam verborum, acumenque sententiarum. Sed multo magis amaui egregium animum tuum erga bonas artes, tèque molestias, quæ initio ipsarum perdiscendarum necessario sustinentur, contempsisse, & quasi totum illud fastidium, quod multos sæpe fortunatos homines, vt verè scribis, non satis rectè inde reuocauit, deuorasse lætatus sum. Erunt autem si radices ipsarum amaræ fuerunt, quod vsu venire à sapientissimis viris memoriæ proditum est, fructus postea dulces, & mira quadã suauitate aspersi. Quare hortor te, & si, ut video, admonitore non eges, stimulusq; omnis, qui ad te impellendum adhibetur, superuacaneus & importunus est; vt in ista ratione permaneas. Semper autem mihi sententia illa doctissimi, & grauissimi viri vera visa est, qui cum scriberet ad opulentissimũ regem Alexandrum Macedonem, ipsiq; diligenter suaderet, vt toto animo incumberet ad orationem expoliendam, putauit, prin-

principes viros, quemadmodum vestimentorum elegantia, ac cetero omni ornatu corporis vincunt privatos homines; ita etiam debere eosdem eloquentia, & facultate dicendi anteire: quia multo pulchrius est, ac vero rege dignius, animum habere sapientia ornatum, quam corpus concinnitate illa decoratum: neque enim probari posse illos; culpæq; magnæ sine dubio affines esse, qui cum re ipsa, factisq; primum locum inter mortales obtineant, videri merito possint quibuslibet hominibus in studio linguæ facundiæq; posteriores. Sed hæc & alia multa sapientes viri excogitauere, ad id munus obeundum apta, quæ nunc ego relinquam, ne iustum modum epistola migret: præsertim cum domi habeas, qui, si opus sit, & hæc, & huiusmodi alia quotidie tibi decantare possit. Mouit præterea me, vt jam finem præcipiendi facerem, quia habeo in animo ad te aliâs scribere, ad quod faciendum humaniter à te, beneuoleq; inuitatus sum. Semper autem in meis litteris aliquid attingam, quod oleat doctrinam, & quippiam memoria dignum in se contineat. In nulla enim re libentius versor, nec aliquid vnquam gero, vnde tantam voluptatem capiam, quam cũ dissero de studiis bonarum artium, depro-
mâque

móque inde aliquid, quod valeat ad iuuentutem erudiendam. Quanto maiore igitur lætitia afficiar, si sentiam vigiliolas meas fructum aliquem ferre fortunatissimis adolescentibus, & summo loco natis? qualis tu inprimis es, qui id, quod audiuerunt acceptum à veteribus illis optimis ingeniis, possunt conuertere in magnos vsus, commodáque gentium, quas regunt, ac fortissimorum populorum. Restat nunc, vt tuæ benignitati plurimas gratias agam, ob eximium istud ac præclarum donum, quo me ornasti, quod mihi fuit carissimum, semperq; à me in sinu gestabitur, vt singulis horis recorder humanitatem tuam, ac splendorem, gloriamq; vestræ honestissimæ, ac maxime illustris domus. Vale optime adolescens, ac multis naturæ fortunæq; bonis florentissime. Florentiæ Prid. Kal. Ian. ANNO M.D.LXV.

PETRVS VICTORIVS S. D. Thomæ Hubnero.

BOnum profectò, plenumq; amoris ac fidei consilium illud illius fuit, qui primum mihi suasit, vt ad principem tuum, optimum & maximæ spei adolescentem scriberem, ipsumq; sua sponte ardentem, magis adhuc ad studia bonarum artium virtutemq; inflammarem. Tuli enim ex illo tenui labore meo, operàque non sane ardua, sed tamen ab animo fideli & sincero profecta, fructus amplissimos. Quæ enim maior vtilitas ex vllo officio capi potest, quam conciliare sibi bonis artibùs, honestòq; aliquo studio gratiam probi iuuenis, ac summo loco nati? eodemq; tempore, atq; eadem omnino cura fundamenta iacere, veræ & sinceræ amicitiæ, cum honesto ac docto homine, qualis tu profectò es? Nam, quin non parua laus sit, habeàtque in se plurimum dignitatis, principibus viris placuisse, dubitandum non est. Hoc enim quoque, præterqùam quòd sua vi satis planum apertumq; est, vt præclarè nosti, vetus Latinus poëta prædicauit:

ſibiq; quia id eximium bonum in vita conſecutus eſſet, plurimum tribuit. Amore autem erga me, egregiàque voluntate eruditorum hominum, nihil ego exiſtimo antiquius, anteponoq; hoc ingens atq; immortale lucrum, ceteris omnibus, qui in me vndiq; redundare poſſent, maximis quæſtibus. Quare, ut dixi, rectum illud conſilium fuit, iuſtamq; cauſam habeo laudandi eum hominem, atque celebrandi. Epiſtola verò tua, ſenſus animi tui, atq; ſummæ beneuolentiæ certum indicium, fuit mihi valde grata & accepta. Vellem tamen aliud argumentum ſcribendi ad me ſumpſiſſes, & non totas tuas illas litteras in vitæ meæ partibus commendandis conſumpſiſſes, ſed tamen probo animum tuum, ſtudiumq; ornandi mei amplexor, quod magno artificio feciſti, egregièque quod ſtuduiſti conſecutus es. Rogo autem te, vt in eo quod cœpiſti permaneas, ſcribasq; ad me ſæpe aliquid de communibus ſtudiis: quo nihil mihi gratius efficere potes. Cum autem te merito, ob ſingularem iſtum amorem tuum erga me, & eruditionem exquiſitam amem, & in oculis ferã, amo etiam magis, quia Ioannis Caſelii, probi & docti viri amicus es: quem ego hominẽ valde diligo, ob multas magnasq; ipſius animi dotes

dotes: inprimis autem ob fidem egregiam erga me, ac bonitatem animi singularem in omnes probos. Multos sanè ego vestros homines dilexi, & arcta etiam beneuolentia complexus sum, eodemq; pacto inueni non paucos, qui me colerent, & omni honore afficerent. Nullum tamen vnquam nactus sum, cuius tanta extent in me merita, qui ob tenuia quædam in ipsum officia, & quæ non sine scelere omitti poterant, tantopere me probauit, nomenq; meum, quod ego non sine caussa magni æstimo per vniuersam Germaniam dissemina vit. Vtinam ille saluus incolumisq; ad vos redeat. Nam valde ipsius vitæ timeo. Ex graui namque diuturnoque morbo nuper euasit, estq; adhuc valde tenui & infirma valetudine. Ego ipsi, ut debeo, dum apud nos manebit, nulla in re deero, & quodcumq; potero, aptum ad ipsum reficiendum, ei præstabo. Sed nosti hominis imbecillitatem, cui cum addita fuerit sæua febris, omnes vires, si quæ reliquæ erant corporis ipsius, consumpsit, & pæne tabe hominem confecit. Sed Deus fortasse conseruator omnium nostrum, ipsi præsidio erit, vegetumque eum vobis in Germania sistet, quod vtinam fiat. Tu vale, vir doctissime, atque exploratum

ploratum habeas te mihi esse carissimum, Florentia Prid. Kal. Ian. Anno M. D. LXV.

PETRVS VICTORIVS
S. D. Samueli Fabricio

Litteræ tuæ, quas mihi reddidit vir probus & ambobus nobis amicus Ioannes Caselius, fuerunt mihi carissimæ, lætatusq; magnopere sum tua mei memoria firma atq; stabili: quanquam de hoc nunquam aliter existimauj. Videbat enim mihi cognosse animum tuum sincerum & gratũ, & quem nullum temporis aut loci interuallum vnquam immutaturum esset. Te autem vehementer me diligere, & pusilla quædam officia, quæ in te contuleram, cum hic fuisti, magni æstimare perspexeram. Gaudeo igitur, si quid vnquam feci, quod tibi gratum, acceptumq; fuerit, téque illud animaduertisse, & non, quod non pauci faciunt, neglexisse, habeo gratiam, postquam tantum inde fructum capio. Quæ enim maior merces alicuius laboris capi potest, quàm ex animo amari ab honesto viro & cupido bonarum artium? quod si longiore temporis spa-

cio apud nos mansisses, maiora prorsus officia mea aduersus te extitissent, & omnibus viribus atq; opibus conatus essem aliquid præstare, quod tibi merito placere posset. Neque tamen reprehendo consilium tuum, qui maiorem partem illius temporis Pisis cõsũpseris, in vrbe liberalibus studiis, & bonis artibus tota consecrata, & vbi magna copia virorum doctorum, & in omni genere litterarum florentium est. Sed hoc nunc ego omittam, rediboq; ad te, quod vere, iureque optimo facere possum, commendandum, qui tam gratum te, memoremq; præbueris, quod me magna profecto voluptate affecit, reddiditq; multo alacriorem ad alios omnes vestri generis iuuenes adiuuandos: etsi numquam aliquid, quod ad hoc valeat, desiderari à me passus sum: vires modo corporis maneant, paresque huic oneri sustinendo sint: animus certe semper integer vegetusque erit. Velim autem cogites, quamuis magno loci interuallo diiuncti simus, si auxilio harum artium aliquid efficere valeam, quod in te gratum accidere posit. Libenter enim voluntati, studioq; tuo morem geram. Cũ vero iam officio meo satisfecerim, cum de re iucunda, plenàque veræ voluptatis disseruerim; cogor nunc tristis rei, molestæq; mentionẽ facere,

& nar-

& narrare tibi, Caselium diu grauiter ægrotasse, morbumq; quo in itinere correptus est, ita sæuum, periculosumq; fuisse, vt medici aliquãdo de vita ipsius desperarint. Bononiæ autem hoc contigit. Cum vero postea vis morbi aliquantum imminuta esset, sed tamẽ adhuc valdè infirmo corpore foret, se ad nos contulit, non sine multo labore, ac molestia, vt arbitror: scis enim tu, quantus, & quã magnus labor sit perrumpere Apenninũ, & tramites illos angustos, præcipitesque euadere, præsertim hoc tempore anni: mediaq; hieme ad nos peruenit, verum imbecilla admodum tenuiq; valetudine. Viuit autem cũ Bernardo, & Ioachimo, qui ipsũ domũ receperunt. Ego sæpe hominem viso, atq; omnia ei boni hominis, ac veri amici officia præsto: neq; vlla deniq; re desũ, & in hoc officio, munereq; dũ hic erit, summa cũ fide, & amore permanebo. Suasi autem ipsi diligenter, ne se itineri tam longo committeret, tã infirmo corpore, hoc importuno anni tempore. Nam vix in vrbe, domiq; frigus vitatur, nedum foris, & in via. Quã autem ipsũ inimicũ, infestũq; esse soleat tenui corpori, & diuturno morbo, quotidianisq; curationib. exinanito, nemo est qui nesciat. Cũ ver redibit, ipseq; adhibito studio, ac cura firmior factus erit, (quod prorsus futurũ

 spero

ſpero, ac toto animo opto) tunc ad vos tuto redire poterit: quod utinam ipſi contingat. Nam ſane vita, & longa ætate, propter tam multa, & tam magna animi, ac ingenii bona dignus eſt. Tu vale, ac me, vt facis, ama. Florentia X V. Kl. Feb. Anno M. D. LXVI.

PETRVS VICTORIVS S.D. Joachimo Hanio.


Portet mihi ignoſcas, Ioachime, quod ſero reſpondeo tuis amãtiſſimis litteris: quod ſi facies vt ſpero: cognoui enim facilitatem ingenii tui: recte facies, eritq; id mihi gratiſsimum. Nolui enim vllo pacto hac culpa laborare, ſuperbusq; quamuis falſo haberi. Scis autem tu, me longè ab hoc vitio abeſſe. Quod ſi videre potuiſſes, quàm occupatus omni hoc tempore fuerim, & quam arduo, difficiliq; negotio implicatus, profecto quin ego liberandus omni crimine forem, non dubitares. Sed etiam mihi dies non paucos, vt tui amici norunt, eripuit morbus valde odioſus. Dolorem enim mihi magnum inurebat, à quo morbo vix adhuc vacu-

vacuus omnino ſum. Sed finem nunc imponam huic meæ purgationi, præcipue fretus, vt jam dixi, tua humanitate. Munus quod mihi miſiſti, elegans vndiq; & ſplendidum mihi viſum eſt, dignumq; prorſus tua benignitate. Gratias igitur ob id tibi ago immortales. Nollem tamen hoc tempore, quo domo abes, te ſumptum in hanc rem feciſſe, atq; in itinere longo te iſta pecunia ptiuaſſe: neq; etiam neceſſarium erat nouum hoc indicium amoris tui erga me magni. Vidi enim ſemper & quaſi oculis perſpexi, quantopere me diligeres, & toto etiam animo obſeruares: quæ ſemper ego putaui certa ſigna eſſe egregiæ tuæ in me voluntatis, animiq, valde grati & memoris beneficiorum, ſi ita vocanda ſunt, & tam honeſto nomine ornanda, officia mea aduerſus te. Et certe te ego ſemper amaui, & omni re, qua potui, laudi honoriq; tuo inſeruiui: qua in re vereor potius, ne ſæpe tibi moleſtus cura, & aſſiduitate mea fuerim, quam paſſus ſim vnquâm te operam, ſtudiumq; meum in natura tua informanda, optimisq; artibus inſtituenda deſiderare. Sed hoc nunc tibi redigere in memoriam neceſſe non fuit; verum id ego tetigi, ob deſiderium quo teneor, vt omnibus in rebus tibi purgatus ſim. Illa enim mea nimia

fortasse σπουδὴ importuna tibi aliquando videri potuit: quin tamen animus meus optimus, cupiditasq; ingens tuæ laudis, cum qua etiam mea coniuncta erat, cognita tibi semper perspectaq; fuerit non dubito. Sed de his nunc hactenus. Tu valebis: salvusq; & incolumis in patriam reuerteris, & quod ego semper à te optaui, quodque mihi hac epistola tua pollicitus es, me perpetuo amabis. Ego certè memoriam tui, longàmque consuetudinem, qua coniuncti inter nos fuimus, numquam ex animo meo dimittam. Salutabis autem diligenter meo nomine sodales illos tuos veteres, auditorèsque meos suauissimos, & optimos, si vnquam videbis, quos ego, quamuis absentes, fero in oculis, & eorum sola memoria recreor. Vale Florentia Non. Mart. Anno

M. D. LXVI.



PETRI VICTORII
EPISTOLARVM AD
GERMANOS MISSARVM.
LIBER SECVNDVS.

PETRVS VICTORIVS
S.D. Othoni Hamio.



Vmquam putaui fore, Otho suauissime, (libere enim tecum loquar.) vt tu postquam domum redisses, numquã ad me scriberes, præsertim cũ ex itinere ad me litteras exarasses: quod ipsũ mihi spem non parvam dederat, te in officio futurũ, ac quod dixisses prorsus seruaturũ. Ego auté iterũ tertiumùe ad te scripsi; ac multo sæpius etiam scripsissem, nisi, cum tanto silentio mecum uterere, veritus essem, ne tibi quoq; magis gratum meum silentum quàm sermo foret. Sed accuso sæpe mecum magnum interuallum locorum, quod, vt verum fatear, causam esse puto, ne nos litteris sæpe inter nos familiariter quasi loquamur.

Ne-

Neque enim ratio expedita, facilisq; est epistolas mittendi. Cum autem nunc istuc rediret Ioannes Caselius, quem ego valde diligo, & merito quidem amo, charumque habeo, existimaui oportere me per litteras te salutare. Nullum enim aliud scribendi argumentum habebam. Vt tamen tangam paucis aliquid de meis rebus: ego valeo, ac maiore quàm vnquam diligentia incumbo in optima studia, cuius meæ curæ, assiduitatisq; in honestis artibus, extabit, vt spero, aliquando opus aliquod: atq; id etiam fortasse non magno ab hoc tempore interuallo. Tu quoq; vale, ac virtutem, cuius te cum hic eras valdè cupidum cognoui, diligenter cole. Florentia XII. K. Quinctil. Anno M.D.LXVII.

PETRVS VICTORIVS S. D. Gotislobo Rotermundio.

SÆpe miratus sum, Rotermundi carissime, te nullas vnquam, postquam hinc discessisti, litteras ad me scripsisse, cum tamen olim pollicitus esses, te crebro hoc facturum, sed fortasse illæ non proferuntur. Neque enim possum credere, te nostri


ſtri oblitum eſſe. Audiui ſanè atq; id magna cum mea voluptate, (delector enim plurimum commodis, atq; honoribus amicorum) te in honeſtis, & præclaris factis vehementer occupatum eſſe: verùm tamen nullæ poſſunt eſſæ tantæ occupationes, quin tempus reſtet exarandi epiſtolam ad amicum, atq; ipſum de ſuis rebus certiorem faciendi. Ipſe certe non ſemel ad te ſcripſi, ſcripſiſſemq; ſæpius, ſi hoc tibi moleſtum non eſſe, aliquando mihi ſignificaſſes. Cum vero nunc Ioannes Caſelius, vir optimus & multis magnisq; ingenii dotibus præditus, ad vos redeat, non potui non ad te ſcribere, ac me valere, totóq; animo litteris incumbere tibi narrare. Ipſe autem, qui mecum omni hoc tempore ſatis familiariter fuit, ſi quid præterea de me ſcire volueris, cuncta tibi diligenter exponet. Tu vale, ac me, ut ſemper feciſti ingenii illa tua bonitate, amantem tuì ac valde cupidum tuæ dignitatis, dilige. Florentia XII. Kal. Quinctil. M. D. LXVII.

PETRVS VICTORIVS S.D. Bernhardo Bugenhagio.



Agna nos aliquando ſpes tenuit, Bernarde optime, appropinquare tuum aduentum: ſed cũ illud ſerius fieri animaduerteremus, intelligentes conſtantiam promiſſorum tuorum, ſubtimere cœpimus, ne tibi aliquid incommodi in tam longo itinere eueniſſet, præſertim cum litteræ, quæ omni hoc tempore domo tua venerunt, nihil ſignificarent de tuo in eam terram reditu. Vtinam hoc unum falſum ſit, inaniſq; prorſus metus hic noſter fuerit: reliqua æquo animo feremus. Cum autem nunc Caſelius noſter iſtuc reuerteretur, exiſtimaui oportere me aliquid ad te ſcribere de noſtra hac animi ſollicitudine, vt ſciam, quid te factum ſit, & quæ te cauſa tam diu, aut in alienis ſedibus oppreſſum, aut domi tuæ tacitum tenuerit. Tu vero nihil contra commoda tua, aut voluntatem tuorum, vt nobis præſto ſis, faciasq; quod dixeris, geras. Quidquid enim ſtatueris de tuis rebus, id rectũ eſſe, teq; id potiſſimum facere debuiſſe putabo. Amo enim te, tibiq; omnia bona ex animo opto. Vale Florentia IX.K. Quinctil. Año M.D.LXVII.

PETRVS VICTORIVS
S. D. Iulio Comerstadio.


Accepi ego hoc tempore, quo à nobis absuisti, Iuli optime, duas tuas epistolas, quæ mihi valde gratæ fuerunt. Perspexi enim in illis amorem tuum erga me singularem, mirificumq; desiderium redeundi ad nos: quod tuum consilium, cum sperarem exitum habiturum, citóq; prorsus futurum, vt nos coràm videremus, non putaui necesse esse, me aliquid tuis humanissimis litteris respondere. Nunc autem cum id adhuc factum non sit, vt opinamur, propter bellum periculumque viæ, qua iter ad nos esses facturus; reuertatùrque Caselius noster domum: putaui me debere aliquid litterarum ad te scribere, vt scires, me valere, ac reditum tuum auide expectare, vt persequamur illa nostra honesta studia, quibus ego, dum tu à me abfuisti, toto animo incubui, vnà cum his tuis familiaribus, optimis viris & omni laude dignissimis. Si quid præterea de meis, tuisq; hic rebus scire volueris, Caselius tibi cuncta diligenter narrabit. Ego sanè sũ breuior,

qui-

quia confido me maturè hic te visurum. Quod nisi Caselius hinc discessisset, hac ipsa de caussa, nullas ad te nunc etiam litteras scripsissem. Vale, ac veni cito. Venies enim exspectatus, & nostris hominibus omnibus carissimus. Florentiæ. IX. K. Quinctil. Anno M. D. LXVII.

PETRVS VICTORIVS S. D. Thomæ Hubnero.

FVit mihi indicio epistola tua, Thoma eruditissime, quantopere me diligeres. Nihil enim recordor vnquam magis humane, magisq;, amãter ad me à quopiã scriptũ fuisse. Sed Caselius quoq; tuus meusq; mihi sæpe hoc significauit, te mirum in modũ me diligere, ac libenter quamlibet occasionem nactum, aliquid de meis laudibus prædicare. Est igitur quod gaudeam, totóq; animo læter, me inuenisse hominem, & doctum sanè probumque hominem, in tam remota terra, qui me vnicè diligat, præsertim cum in eum propter distantiam locorum nulla vnquam officia contulerim, neq; etiam reliquo tempore me videam facile id præstare posse. Restat igitur, vt tibi gratias agam, quod

quod faciam ex animo ac sincerè: teq; mutuo diligam, quod & ipsum non patiar in me desiderari. Sed vt ad communem amicum veniam, qui tibi has dabit; est mihi Caselius ita carus, vt nihil posſit esse supra. Nam præter doctrinam, singularem profecto & variam, cognoui ipsum bonum virum, ac valdè cupidum amicorum, ornatumq; summis ingenii partibus. Dum certe hic fuit, valdè familiariter eo vsus sum, magnamq; ex ipsius consuetudine voluptatem cepi. Tu autem nunc ac ceteri, qui istic sunt, honesti viri, illo fruemini, ingentemq; ex eo, vt spero, suauiſsimisq; ipsius moribus lætitiam capietis. Subinuideo igitur vobis, ac facere propè me, quod nullus vnquam de se non vehementer negauit, fateor; & magis etiam inuiderem, nisi vos plurimum amarem. Habetis enim vobiscum hominem omni laude dignum, & qui si vixerit, non parum decoris, ac dignitatis vestro nomini allaturus sit. Leniam autem ego tantum desiderium ipsius crebris epistolis, quas ad eum scribam, cum quibus erunt aliquando aliquæ ad te. Cum vero nunc sciam, te quoq; vehementer Caselium amare, ac prope fraterno amore prosequi, (ipse namq; hoc mihi sæpe narrauit) erit mihi gratum, si magis adhuc ipsum

mea causa amaris, ac veteri tuo erga illum amori aliquid, quia hoc ipse à te diligenter peto, ac prorsus fieri volo, addideris. Vide quantum mihi de tua erga me beneuolentia pollicear. Vale, Florentia VI. Kal. Quinctil. Anno M.D.LXVII.

PETRVS VICTORIVS S. D. Joanni Alberto, duci Megapolitanorum.


Idi ego sæpe dux illustrissime, & satis certis indiciis cognoui, te valde me diligere, ac de meis animi partibus, cuicuimodi illæ sunt, (vtinam tales ipsæ forent, vt dignæ tuo amore essent) egregiè sentire. Est igitur quod maximè gaudeam, in meisq; secundis rebus hoc etiam, non vltimum ponam; me à tam sapiente, fortunatòque viro tantopere amari, carùmque haberi. Tribuo autem hoc moribus tuis, & eximiæ cuidam naturæ bonitati, quæ faueat omnibus illis, in quibus speciem aliquam, vmbramq; virtutis aspexerit: nec non tuis quoq; hominibus, qui huc venerunt, ab ipsorumq; etiam beneuolentia aliquam in partem id profectum puto, qui me apud te constituerunt. Illis vero


ro ſemper ego ſedulo inſeruiui, ac quibuscunq; rebus potui, profui. Cognouerã enim te velle, & à me hoc etiam aliquando petiſſe diligenter, recordabar: præterquã quod probi viri fuere, digniq;, quibus omnes mortales facile indulgerent. Vnus autem eorum eſt, qui nunc ad te reuertitur Caſelius, vir optimus, & inſignibns animi dotibus ornatus. Eum ego valdè diligo, ac merito quidẽ facio: cum enim ille raris quibusdam ingenii bonis inſtructus ſit; probitate, ac vera virtute non inferior eſt aliquo: cepique ego ex ipſius conſuetudine, (vixit enim omni hoc tempore mecum ſatis familiariter.) vòluptatem incredibilem. Cum vero ille mihi omnibus rebus, ſemper probatus fuerit, in primis amaui in eo fidem ſingularem, cupiditatemq; ingentẽ tuæ voluntati commodisq;, omnibus viribus opibusq; ſeruiendi. Quod autem ad ingenii ipſius magnitudinẽ, eruditionẽq; artiũ reconditarum facit, hoc eſt meum de illo iudiciũ, vt cum hac noſtra ætate Germania tulerit plures doctiſsimos viros, & qui ipſi magnum honorem laboribus ſuis pepererunt, ſperem hunc, ſi vixerit, & perſequi optima ſtudia potuerit, parem ipſis laude, ac gloria futurum. Neque ego nunc hoc dico, laudoq; illũ tibi, vt gratiæ aliquid, honorisq; ipſi apud te conciliem. Recordor enim, me cum pru-

prudentiſsimo principe, ac honeſtiſsimo loqui, apud quem nimis turpe foret mentirj; neque aliquid eſt, quod tam à moribus meis alienum ſit, quàm vanitas: ſed vt animo meo ſatisfaciam, ac quod intus habeo, libere proferam. Cum igitur ſcire cupias, qui publicé docere iſtic humaniores litteras, & ingenuas omnes artes queat, non video, qui melius quam Caſelius ſuſtinere hanc perſonam poſſit. Cur autem, quod domi tuæ habes aliunde petas? Nobiliſsimis enim quoq; adoleſcentibus, & ſummo loco natis poſſe hunc tradere idoneam diſciplinam, arbitror, vel potius cognitum & exploratum habeo. Nã & moribus eſt optimis, & libros etiam Ariſtotelis de vita, ac moribus; nec non quos idem ſcripſit de optima republica, accuratè legit: ſententias autem ipſorum omnes eum cognitas ac valde tritas habere perſpexi, ex crebro ſermone, quem inter nos habuimus de his grauibus ſtudiis, ſed plures etiam partes eorum librorum mecum diligenter, ponderauit. Hoc vero eſt opus, quod cuncti probi viri, & qui ſemina aliqua virtutis à natura habent, diligenter legere deberent ac ſemper manibus tenere: inprimis autem opulenti homines, quiq; imperium habent in aliquam honeſtam gentem, vt & ſeipſos perficiant,

ficiant, & vitæ etiam beatæ illorum, quos regunt, prouideant. Scripta etiam Isocratis regiis pueris erudiendis, & ad colendam virtutem incendendis, mirificè accommodata putarem. Non tantum enim ille magister eximius dicendi fuit, atq; è domo ipsius summi oratores prodiere, & principes totius Græciæ viri in illa arte, quæ tunc maiores honores, quàm nunc habet, habebat, sed etiam vitæ doctor extitit præstantissimus. Magnis enim semper, publicisq; rebus intentum animum habuit, & alios etiam inflammare ad decus, & præclara facta studuit, misitq; suasiones quasdam suas ad summos reges. Cyri præterea παιδεία quam Xenophon ille Socraticus, non solum nobilis philosophus, scriptorq; politissimus; verum etiam bonus imperator litteris mandauit, & in qua expressit imaginem iusti imperii, valde idonea sine vlla dubitatione foret institutioni regiorum adolescentium. Hoc enim est opus illud, quod Scipio Africanus de manibus deponere non solebat, & quod M. Cicero quoq;, vt ipsemet memoriæ prodidit, totum contriuerat legendo. Sed hæc omnia tibi erudito viro nota sunt, & Caselius noster, cum eiusdem sententiæ sit, si oporteret; idem tibi de his rebus prædicaret. Quare longior non

eto, ne tibi molestus sim, ac iustum epistolæ modum transeam: quamquam nulla nimis longa, quæ inanis non sit, existimari debet: & qui aliquid de hac re sapienter præceperunt, concedunt, vt regibus ac populis propter ipsorum dignitatem epistolæ scribantur ampliores. Te verò princeps optime rogabo, vt opera mea si qua in re tibi, tuisq; illa vtilis esse potest, audacter vtare. Nullum enim tantum beneficium in me conferre posses, quod ego non multo minus, quàm hoc vnum iudicem. Florentia V. Kal. Quinctil. Anno M. D. LXVII.

PETRVS VICTORIVS S. D. Thomæ Mathiasio.



Reber quem mecum habuit sermo, Thoma honestissime, de tuis magnis virtutibus Ioannes Caselius, qui te plurimum amat, ac colit, fecit, vt ipse quoq; te diligere, & admirari inceperim: & sanè quid est, quod magis dignum sit, quod ametur, quam vera probitas & doctrina? Trahunt enim illæ nos ad se amandas è remotis etiam, & longinquis locis. Si namq; solum dili-


diligeremus,qui præsentes adsunt,atq; vnde fructum aliquem capere possemus; nos magis quàm illos diligere, & caros habere merito iudicaremur. Diligo igitur te, Mathiasi optime, & magnopere laudo, qui tantopere virtutem sequeris, ceterisq; istic consilio, ac prudentia præstas,ac tantum deniq; vales hoc eximio, & præstanti bono, vt gratus, acceptusq; sis maximo, atq; optimo principi,qui iudicio, & opera tua in consiliis capiendis de magnis rebus vtitur. Non est autem mediocris laus, apud fortunatos, eosdemq; sapientes viros plurimum gratiæ, & auctoritatis obtinere, atq; id honestis artibus, ac recta vitæ ratione. Viue igitur beatè, gaudeq; tuis istis egregiis animi bonis, ex quibus solis integra,sinceraq; voluptas capitur.Vtere etiam plurimũ,cum tibi per occasiones licebit,Caselio nostro. Affirmo enim ex ipsius consuetudine te plurimum suauitatis hausturum. Ille certè omni hoc postremo tempore, quo hic vixit,fuit mihi iucundissimus. Cognoui enim eum probum virum,ac valde eruditum, quodq; inprimis me delectat, perofficiosum erga amicos, ac memorem beneficiorum. Augebit igitur hic vir non parum tuas puras voluptates,cumulùmque magnum afferet isti tuæ beatæ vitæ.

Sed cum etiam me hic olim peramanter salutarit Ioannes Schosserus, visusq; mihi sit ex colloquio illo longo, & accurato de politioribus litteris, homo valde eruditus, & honestarum artium inprimis cupidus; rogo te, vt si quando vlla re potes ipsi commodare, quod sæpè facere solitus es, ac libenter semper benignèque facere, vt mea etiam caussa id cumulatius facias. Ornabis enim virum probum, quantum ego videre potui, & aliorum quoq; postea testimonio cognoui. Hoc autem etiam addere volui, vt videres, quantum ego mihi de tua bonitate, ac virtute pollicear, cum audeam etiam ignotus homo, tibi oneris aliquid imponere, & alium, mihi repente, non incertis tamen signis, probatum hominem, tibi commendare. Tu vero vale, mèque vt ego te feci, captus fama tuarum virtutum, si dignum iudicas, quem ames, beneuolentia itidem complectere.

Florentia V. Kal. Quinctil. Anno M. D. L X V I I.

PE-

PETRVS VICTORIVS S. D. Danieli Schulenburgio.



Vantopere te diligam, & vt viuam tui memoriã in animo retineam, erit indicio epistola hęc Daniel iucundissime. Cum enim Ioannes Caselius domum nunc reuertatur, qui mansit hic nouissime interuallo vnius anni, ac dimidiati alterius, existimaui me oportere ad te scribere: & si cum alias etiam aliquid litterarum ad te dedissem, mihi nunquam respondisti, quod sane miratus sum. Cognoueram enim te, cum hic esses perhumanum, & valde amantem mei. Sed fortasse illæ in tam longo itinere interiere: quod credere malo, quàm putare te mei oblitum esse. Hoc enim mihi præter modum molestum foret. Non potuit autem tibi argumentum epistolæ vnquam deesse. De studiis enim nostris aliquid inter nos semper loqui licebit, vt memini te sæpe, cum hic esses, facere solitum esse. Quærebas enim quotidie ex me aliquid, atque id mehercule acutè, & eruditè. Deniq; inanes potius quam nullas, tuas epistolas probabo. Habes quæ mea voluntas sit de hac re, & quid præterea

tui officii esse putem: sed tamen non vrgeo, & omnia in bonam partem accipiam, silentiumque hoc tuum, si videro ipsum tibi placere, quoquo modo potero, tolerabo. Vale iuuenis honestissime, atque animo meo carissime, meq; vt semper fecisti, ama. Florentia V. Kal. Quinctil. Anno M. D. LXVII.

PETRVS VICTORIVS S. D. Joachimo Friderico, Marchioni Brandeburgensium.

CVm redeat ad vos Caselius, vir probus, & magnis ingenii dotibus ornatus; committendum mihi non putaui, iuuenis illustrissime, quin ad te scriberem. Etsi enim memoria tui mihi numquam effluere potest ex animo: tamen hic profecto vir ille est, cum quo sæpe ego de tuis maximis & animi & fortunæ bonis loqui solitus sum. Cum enim ipse magnopere te admiretur, ac colat, libenterq; tuas eximias virtutes celebret: inuenit me, qui nullam in partem auersus sum ab hoc honorifico de te sermone: vel potius cum ipso certem de prædicatione tuarum verarum laudum. Sed quis non diligat, & animo complectatur ado-

adolescentem summo loco natum, qui ardeat desiderio bonarum artium, totusque inflammatus sit amore sapientiæ? Est sanè hoc infrequens, & quòd raro omni ætati contigerit, vt qui valde instructi sunt externis bonis; iidem animum ornare, & expolire magnopere studeant: quod ego non sine dol re dico. Faueo enim libenter, cum possum, laudi ac gloriæ clarorum & illustrium adolescentium. Sed ne ab aliquo, qui me penitus non nouerit, maleuolus existimer, citabo testem locupletem, tibiq; etiam cognitum huius sententiæ. Isocrates enim in extremo illo libro, quo laudauit Euagoram, hoc filio ipsius Nicocli narrat, cum ipsum etiam commendaret, qui longe aliam viam, quam reliqui eius loci atq; ordinis sequeretur. Inquit enim, nec se, nec ceteros fallere, ipsum, & solum & primum omnium qui principatum obtinerent, ac valde diuites forent; mollitèrque demum, ac delicate viuere posśint, sapientiæ studia amasse: nec labores eos, qui in ea percipienda necessario sustinentur; reformidasse. Quo magis ipsum celebrat, exemplòque aliis fortunatis hominibus ac regibus futurum affirmat, vt ipsi quoque reiectis illis rebus, quibus tunc dediti forent, ad honestas

artes colendas se totos conferant. Idem igitur ego tibi dico in re valde simili. Cum enim te plurimum commendem propter istam egregiam tuam voluntatem erga ingenuas artes, spero etiam hoc boni te facturum, vt ceteri istic imitatione tui se litteris tradituri sint, & disciplinam tuam honestam expressuri. Sed non habebam in animo, cum calamum sumpsi, te hortari, vt faceres ea, quæ tua sponte facis: audio enim te non egere calcaribus: nescioq; quomodo huc delapsus sum. Quare reuertar eo, vnde discessi; tibiq; hunc optimum & doctissimum virum commendabo, in quo ipso etiam fortasse me arroganter geram, cum tibi eum audeam commendare, quem carum habes, & in numerum tuorum recepisti. Sed tamen mirificus amor, quo illum prosequor, me cogit hoc moliri, & parum omnino modestum esse. Sed quoniam semel, vt video, peccaui, ac fines verecundiæ transii; non verebor etiam tibi laudare Ioannem Schofferum, qui me hic olim amanter salutauit; rogareq;, vt quibuscunq; rebus honeste possis: potes autem multis magnisq;: velis ei gratificari. Visus enim tunc mihi est dignus propter egregiam notitiam bonarum artium, singularemq; facultatem condendi elegantissimum carmen, qui

qui à nobilissimis iuuenibus, qualis tu inprimis es, coleretur, atq; omni honore afficeretur. Sed de laude quoque huius minus multa, quàm vellem, ac verè facere possem, ne diutius in eodem arrogantis animi crimine verser. Vt autem in mihi valdè iucundo Caselii nomine epistolam terminem: cum antea quòq; ipsum valde diligerem, eximiasq; ipsius animi dotes bene cognitas haberem; in hac tamen nova nostrà consuetudine, (fuit enim ille fere omni hoc tempore mecum.) melius eas perspexi, atq; omni ex parte probaui. Tu vero adolescens optime vale, & me cupidissimo tuæ laudis, & fideli cliente tuæ florentissimæ domus, ómnibus tuis in rebus vtere. Florentia IV. Kal. Quinctil. Anno M. D. LXVII.

PETRVS VICTORIVS S. D. Joanni Cratoni, archiatro Cæsareo.

FAcit beneuolè Caselius, &, vt expectari poterat à singulari probitate ipsius, qui de me vbicunque est, cum doctis, & præclaris viris honestè, ac magnificè loquitur, studetq; mihi semper quacum-

que ratione poteſt, nouos amicos parare: quod ego maximum beneficium duco, & antepono multis aliis, quæ à quolibet accipere hoc tempore poſſem, commodis. Quantum enim hoc ipſius, & quàm ſplendidum munus eſt, quod opera ac ſtudio ſuo te mihi amicum reddidit, ac totum me in animum tuum inſinuauit, qua ex re ego mirifica lætitia, vt debeo, ſum affectus. Cur enim non magnopere gaudeam, cum videam me diligi, & carum haberi à viro inprimis honeſto florentiq; omni honore, ac gratia apud optimum, ac ſapientiſsimum principem? Nam quod ſignificat, antea etiam ex ſcriptis me cognoſſe, & beneuolentia non parua perſecutum fuiſſe, hoc optimum eſt tuæ virtutis, atq; incredibilis cuiuſdam bonitatis. Quotus enim quisque eſt hac ætate, qui non conetur potius alienos labores, & ingenii monimenta vellicare, quàm inducat in animum, ipſa probare, & honore ſaltem verborum tantas hominum vigilias, moleſtiasq; compenſare? Neque tamen ita ego illa admiror, nec tam ſtultus ſum amator rerum mearum vt putem oportere ipſa ab omnibus celebrari. Sed non loquar nunc de me ipſo ſed de vitio, quod flagrat in animis multorum, libenter extenuantium ſcripta aliorum, ſuaq; tantum

in-

in cœlum summis laudibus ferentium: quæ certa causa est, vt ceteri pigriores sint ad labores subeundos. Quàm magni autem illi sint ac superent opinionem eorum omnium, qui numquam hoc experti sunt, tu optime scis, qui in hac palæstra summa cum dignitate, ac gloria versatus es, ac multum deniq; in ea desudasti. Quanta autem tenuiora sunt, opera ingenii mei, tantò te maiore amore complecti debeo, qui ipsa non despicis, & æqui cuncta boniq; facis. Sed vt ego, vnde decesseram, reuertar, ago maximas gratias apud te Caselio, qui hoc pio munere functus est, tibiq; vir optime, non minores, quod facile ipsi credidisti, mihiq; te totum tua admirabili comitate impulsus tradidisti. Quod autem mihi etiam, omnia officia polliceris, quæ magna sanè à te proficisci, exspectariq; possent, cum isto loco sis, tantùmque valeas gratia, & auctoritate apud Cæsarem, sum tibi eo nomine valdè obligatus, ac si res feret, audacter etiam tua ista eximia benignitate vtar. Ego cum tanta tibi de me spondere non valeam, quidquid tamen potero libenter semper tua causa, cumulateq; geram. Vale, ac perge me amare. Florentia VIII. Kalend. Ian. Anno M. D. LXVII.

PE-

PETRVS VICTORIVS S. D Ioachimo Basseuitio.

LItteræ tuæ K. sept. datæ, fuerunt mihi iucundissimæ. Quis enim non gaudeat, cum videat se tantopere diligi à moderatissimo iuuene, atq; omnium honestarum artium cupidissimo? Amaui profecto ego te, vt dicis, ac quibuscunq; rebus potui expoliui, qua in re, nedum magnopere laborauerim, nouiq; aliquid effecerim, vix animo meo, egregiæq; voluntati erga te satisfeci. Statim enim vt aliquem, honesto loco natum adolescentem, video ardere desiderio bonarum artium, complector ipsum animo, putoq; me oportere illi prodesse; ac peccaturum etiam esse magnopere, nisi ipsius vtilitatibus præsto semper fuerim. Te autem cognoui præter ceteros studiosum humanarum litterarum, disciplinæq; omnis, quæ conueniant ingenuo viro, & qui aliquando viuere debeat in luce hominum. Quod si rationes tuæ te inde aliquantulum auocarunt, coëgeruntq; ipsa spatio aliquo temporis intermittere, non reprehendo hoc quoq;: præsertim cum, vt affirmas, non omnino ipsa di-


dimiseris: neq; penitus ex animo abieceris, tempusq́; etiam futurum putes, cum ad ipsa redibis, & toto animo deuorabis mirificas suauitates, quæ inde hauriuntur. Ius autem ciuile, in quod nunc incumbis, præsidii multum tibi adferet, ad fortunas tuas non solum tuendas, verum etiam honestè augendas. Parit enim ipsum hominibus, his institutis ac moribus, quibus hodie viuimus, fructus amplissimos, honorisq́; ac dignitatis plurimùm adportat. Quod enim antiquitus honoris, ac præmii cultoribus ipsius eloquentia tribuebat; id mihi nunc videtur scientia legum mortalibus dilargiri; facileq́; auxilio huius doctrinæ homines se insinuant in animos principum virorum, qui ipsorum prudentia consilioq́; egent, nec possunt sine ipsa recte rempublicam administrare, & personam suam tueri. Hæc igitur opinio mea est de hac re, itaq́; ego iam diu de ipsa existimaui. Quod tibi narrare volui, vt intelligeres, me consilium tuum probare, & quemadmodum alia tua facta, ita etiam hoc ipsum ex animo laudare. Recordare tamen, me hoc probare, vt initio dixi, hoc pacto, si non omnino repudiaris hæc politiora studia, neq; nuntium philosophiæ remiseris. Si namq; longe â te ipsa, exemplo multorum, fugares, quemad-

modum

modum alia tua facta, ita etiam hoc ipsum ex animo laudare. Recordare tamen, me hoc probare, vt initio dixi, hoc pacto, si non omnino repudiaris hæc politiora studia, neq; nuntium philosophiæ remiseris. Si namq; longe à te ipsa, exemplo multorum, fugares, quemadmodum cogerer, quia video hoc alios facere, id aliquo modo in amico homine non accusare; ita non possem vllo pacto laudare. Nam multis puris voluptatibus in vita careres, & esses omnibus in rebus agendis durior & inuenustior: hæ vero elegantiores litteræ condiunt aliquo modo, & non parua suauitate afficiunt tristitiam & amaritudinem legum. Sed minime opus est hortari te ad Musarum commercium, & horum elegantium studiorum amœnitatem, cum potes, perfruendam, quam tu non gustasti solũ, verumetiam pleno ore aliquando hausisti. Quare finem faciam. Neque enim necesse esse arbitror me nunc de amore, quo te prosequor, desiderioq; tuæ dignitatis pluribus agere. Existimo namque totum hoc tibi plane cognitum ac perspectũ esse, teque re ipsa cognosse, quantopere tibi cupiam. Superuacanea igitur esset omnis oratio. Victorem vero gentilem tuum, quem mihi commendas, quacunq; re potero adiuuabo, cunctisq;

in rebus eius vtilitatibus consulã. Nam præterquam quod, vt tibi morem geram, in hoc opus sedulo incumbam, faciam quoq; id libenter, quia ob multa morũ ingeniiq; bona, dignus ille mihi videtur, quem omnes diligant, & in oculis ferant. Vale Ioachime optime, mihiq; carissime. E Decimano meo XII. K. Octob. Anno M. D. LXVII.

PETRVS VICTORIVS S. D. Joanni Caselio.



Ccepi, mi Caseli, litteras tuas, Viennæ XII. Kal. IXb. datas, quæ mihi fuerunt vehementer gratæ, & sanè cunctæ, quas ad me ex itinere scripsisti, exceptis iis, quas te narras Oeniponte dedisse, in manus meas peruenerunt. Primæ autem sunt hæ postremæ, quibus ego responderim: quod sane negligentia commissum non est, neq; sine caussa à me factum. Non enim mecum statuere poteram, cum crebro locum mutares, ac fere discedens alicunde, scriberes, quonam potissimum ipsas darem. Nunc vero, cum putem te domum iam peruenisse, habeo quo ipsas mittam, non sine spe aliqua, fore, vt aliquando tibi illæ reddantur.

dantur. Quare non patiar amplius vllas tuas mihi adferri, quibus ego non statim respondeam. Gaudeo autem te saluum & incolumem, si non omnino domum, in ea tamen loca peruenisse, quæ non longe inde absunt: in quibusq; tu amicos plurimos inuenisti. Is enim mihi profecto domi iam esse, & omnibus vitæ commodis abundare videtur, qui vna cum amicis viuit. Ago vero ego tibi gratias immortales, quod vbicunq; es, studes mihi laudem & honorem comparare, summaq; diligentia in eo adhibita, concilias mihi illic beneuolentiam clarorum & doctorum virorum: vt quod proxime fecisti de Ioanne Cratone, summo medico, & honore gratiáque apud summum imperatorem abundante, cuius Cæsar opera fideli & vtili vtitur in tuenda valetudine. Quantum enim hoc lucrum est? & quam grata mihi acceptàque beneuolentia esse debet tam honesti & probi viri? addo etiam mei amantis; quod ex epistola ipsius, humanissimè ad me scripta, perspicitur. Habeant igitur sibi alii diuitias, habeant populares honores, expleantur corporis voluptatibus: nobis autem relinquant amorẽ proborũ, ac vera laude & gloria florentium virorum. Perge igitur, Caseli optime & animo meo optatissime, viam istam tene-

tenere, & si mihi placere vis, (cui rei semper toto animo studuisti) da operam, vt mihi concilies animos eruditorum & bonorum virorum. Nihil enim mihi tam gratum facere potes: in quo tamen modum velim te seruare. Vereor enim, ne tu, amore impulsus, plura mihi sæpe tribuas, quàm ego postea sustinere possim. Cum enim necesse sit aliquando vires ingenii mei omnibus aperiri, quæ modicæ sunt, vel tenues potius, si nimis ipsas auxisses, nullum mihi verum, solidumq; honorem peperisses, & tibi ipsi tua culpa propter falsum præconium laudum mearum, maculæ plurimum infamiæq; inussisses: quod nollem etiam tua caussa. Cupio enim te omni honore, quemadmodum dignus es, florere, & nulli culpæ, quamuis pusillæ, affinem inueniri. *Saluta* istic amicos meo nomine, quos ego ob suauissimos ipsorum mores, amoremq; erga me singularem, in oculis fero. Oricellarius & Ricardius, adolescentes optimi & tui amantissimi, valent: cum quibus ego sæpe de doctrinæ & ingenii tui magnitudine, vt decet, id est præclare loquor. Mandarunt autem mihi nunc illi diligenter, vt tibi salutem plurimam dicerem. *Idem* etiam tota mea domus facit, quæ te admodum diligit, & honestum esse

cupit. Ioannis Cratonis epistolæ statim respondi, vt debui, neq; committam vnquam, vt huiusmodi aliquod officium, probi viri proprium, à me desideretur. Vale. Florentia VI. Kal. Ian. Anno M. D. LXVII.

PETRVS VICTORIVS
S. D. Georgio Fabricio.



Litteræ tuæ Idib. Octobr. datæ, fuerunt mihi valde gratæ, vt docti viri & mei amantis. Laudo autem te, quod veterem nostram animorum coniunctionē post longum interuallum temporis, renouare voluisti: & est sane hoc signum satis certum ingenui hominis ac probi. Quod si tanto spatio locorum disiuncti essemus, facilius amicitiam olim institutam, colere & quotidie augere possemus. Recte præterea fecisti, & in hoc etiam non paruam mihi voluptatem attulisti, Vuolfgangi Vuerteri communis amici in epistola tua mentionem fecisti, quem ego, cum me olim & ipse domi meæ salutasset, statim amare cæpi. Perspexi namq; in illo ingenium & eruditionem non mediocrem: inprimis autem humanitatem

&

& benignitatem singularem. Quare memoriam illius postea semper stabilem, in animo retinui, optauiq; non semel facultatem mihi aliquam aliquando dari ostendendi, quantopere hominem diligam, & quam cupiam ipsi in omnĩ re commodare. Gratum igitur mihi facies, si voluntatem huius rei meam magnam & iustam ipsi significaueris, méque magnopere eidem commendaris. Sed ad ea, quæ propria tua sunt, reuertar. Habebam profectò ego in animo quondam, vt scribis, diligentia ac studio meo tollere menda, quæ in politissimis scriptis Celsi visuntur, & in eo vti auxilio atq; auctoritate vetustissimi illius libri, quem vidisti in Medicea bibliotheca. Sed non multo post audiui Sighisellium quendam Bononiensem, doctum & accuratum virum in eo plurimum elaborasse, & cum ipse etiam Romæ cum eo collocutus essem, idem ab illo accepi. Affirmauit etiam mihi, se breui vigilias illas suas editurum: quod tamẽ adhuc factũ non est. Ne igitur apud ipsum offenderem, viderique possẽ laudi atq; honori ipsius inuidere, abieci omnem illam meam cogitationem, sperans, quod mihi dixerat, exitum habiturum: quinetiam ipsi quidquid potuĩ operis ad eam rem conficiendam præbui. Nam cum domũ

 reuer-

reuertiſſe, miſi ad eum duo exemplaria eius auctoris calamo exarata. Quod vero mihi narraſti, te in poëtis Terentio atq; Horatio caſtigationes quaſdam confeciſſe: quod ad comicum pertinet, vellem antè quam aliquid ederes, legiſſes Gabrielis Faërni in eum poëtam annotationes. Ille namq; magnam diligentiam adhibuit in maculis illius puriſſimi corporis delendis, ſecutus fidem plurium antiquiſſimorum & optimorum librorum: ſed idem etiam multum iudicio valuit. Quod ſi adhuc editio illa Terentiana iſtuc non peruenit, quod ego vix puto, ſtatim ipſam ad te mittam, vt mihi ſignificaris. Carmen tuum, quo celebraſti nuptias Iulii noſtri, legi libenter, laudoq; magnopere ingeninm & facultatem pangendi verſus ita lepidos ac ſuaues: voluntatem autem amplector, quod bonis ominibus proſecutus es coniugium illud, ac felix fauſtumq; eſſe voluiſti: quod vtinam Deus opt. max. faciat. Hoc enim dignum eſt & virtute & probitate huius honeſti viri. Vale Florentia

Id. Ian. Anño M. D.

L X I I X.

P E-

PETRVS VICTORIVS S. D. Ioachimo Camerario.


MAndaui Caſelio, viro probo, & maximis ingenii dotibus prædito, vt te iſtac tranſiens, meo nomine diligenter ſalutaret; quod puto ipſum feciſſe, vt eſt vtriuſque noſtrum amator ardentiſſimus, & huiuſcemodi officiorum, quæ propria ſunt ingenuorum hominum, obſeruantiſsimus. Nunc autem cum V. Baſſeuitins, & ipſe domum redeat, qui vixit hic ſpatio plurimorũ menſium, meq́, omni hoc tempore coluit, & obſeruauit diligenter, iuuenis elegantis ingenii, nec abhorrens à ſtudiis bonarum artium; volui ipſi ad te aliquid litterarum dare: quem ſemper amaui propter ſcientiam optimarum rerum, & præclara ingenii tui monimenta. Poſtea vero, quàm tu ſemel ad me beneuolè, & humaniter ſcripſiſti, in numero amicorum & cariſsimarum mihi perſonarum te habui: quem animum, erga te ſemper, ac tuos omnes ſeruabo. Cum autem contigiſſet, vt filios tuos hic viderem, præſertim alterum illorum, ὁμώνυμον tibi, cum quo ego ſpatio aliquot dierum familiarius

vixi; cuius humanitatem & prudentiam toto animo probaui: te mihi videre, & ante oculos positum habere visus fui. Has igitur iustas caussas habens te amandi, memoriam tui firmam in animo meo tueor, & semper donec viuam retinebo: & quia aliter propter distantiam locorum, frui tuo amore non valeo, conabor hac vna ratione, qua mihi licet, viuam amicitiam hanc nostram conseruare, cumq; occasionem aliquam nactus ero, non cessabo te litteris meis salutare. Non enim dicam interpellare, quia perspecta est mihi bonitas naturæ, & humanitas tua. Vt autem nunc tibi aliquid, pertinens ad nostra studia, narrem; puto me intra paucos dies auspicaturum esse editionem nouorum quorundorum meorum librorum eiusdem tituli, cuius ego confeci olim XXV. illos, quos tu mihi eo tempore amore impulsus, non parum laudasti. Mittam vero ad te illos statim, si aliquam eius rei facultatem habuero; atq; id allectus spe non paruæ mercedis huius mei munusculi. Quod enim maius præmium, honestiusq́, huiuscemodi laborum, obtineri potest, quam laus, & testimonium clarorum & doctorum virorum? in quorum ego numero non te tantum pono, sed primas tibi totius huius eximii præstantisq;

gre-

gregis defero. Sed quia recordari videor, me tibi olim pollicitum esse, missurum Hipparchum, quem diuulgare in animo habebam, fidem meam nunc libero, doq; illum ad te ferendum eidem, cui epistolam hanc; si tamen onus hoc ipsi propter itineris longitudinem, non molestum videbitur, quod non puto: quia illum te valde amare, & doctrinam virtutemq; tuam suspicere scio. Cum præterea nihil aliud habeam, quod tibi, si audias, gratum futurum putem: finem faciam scribendi: tu vero me amare perges, ac si quid vnquam me tua caussa efficere posse putabis, mihi id omne audacter imperato. Vale. Florẽtia VIII. Kalend. Febr. Anno M.D. LXIIX.

PETRVS VICTORIVS S. D. Joanni Caselio.



ADmiratus magnopere fuissem omni hoc tempore, Caseli optime, diligentiam tuam, & amorem erga me singularem, nisi iã pridem vtrumque horum in te plane cognitum & perspectum habuissem: qui, postquam à nobis discessisti, nullá occasionẽ scribendi ad me, & de tuis rebus aliquid

ſignificandi, amiſiſti. Laudo igitur ingenium, moresq; tuos: nec ipſos vnquam amare, & aliis omnibus prædicare deſinam. Si ego ſciſſem, quo litteras dare debuiſſem, non paſſus eſſem officium meum à te deſiderari, ſingulisq; tuis ſtatim, vt debebam, accurate reſpondiſſem. Verum cum in itinere eſſes, nec vno eodemq; loco diutius maneres; intelligens, vix illas ad te aliquando peruenire poſſe, ſuperſedi hoc munere, ſtatuiq; expectandum eſſe tempus, cum tu, aut domi iam eſſes, aut tuis ſedibus magis propinquus fores. Hæ autem ſecundæ litteræ ſunt, quibus tuis reſpondi. Priores illas meas datas VI. Kalend. Ian. V. Baſſeuirio tradidi, qui curaret ipſas, qua certiore ratione poſſet, ad te mittendas. Has vero nunc eidem dabo, cum paucis diebus ſe hinc diſceſſurum, mihi affirmarit. Reſcribo autem ad illas tuas, quas narraſti mihi te ſcripſiſſe, cum Iulium noſtrum domi conueniſſes, Lipſiàmque cum eo proficiſci cogitares. Cepi autem voluptatē magnam ex illis rebus, quas mihi in illa tua epiſtola diligenter narraſti. Ego vero quid noui ad te ſcribam non habeo: tantum tibi ſignificabo, me cum omnibus valere; & in iisdem ſtudiis maiore, quam vnquam fecerim, diligentia verſari. Reſiſto enim quan-
tum

tum possum ætati, valde iam graui, & vitiis propriis senectutis medeor, quacunq; ratione possum. Spero autem me cito ad editionem illam meam variarnm lectionum accessurum, quem librum statim vt erit excusus, ad te mittam. Sed postquam incidi in mentionem horum mecrum laborum, quos tu cum degustasses, magis, vt opinor, amanter, quam vere probasti: cum forte Romam ad amplissimũ virum misissem, animaduersiones illas meas, de duobus à me notatis locis Lucretianis extitere subito plures, qui poëtam eum minime in illis rebus lapsum esse ostendere vellent, è quibus vnus, cum omnis hæc quæstio illic multũ agitata esset, ad me scripsit, & opinionem meã conuellere conatus est. Respondi autem illi diligenter. Quid autem mihi tunc in mentem venerit, ad iudiciũ meum confirmandum aptũ; videbis. Epistolam enim illam ad te cum his litteris mittam, vt intelligas, quam facile ego obtrectatores inueniam, & æmulos mearum sententiarum. Ricardus noster, & Maphæus adolescentes optimi, & tui amantissimi, tibi salutem dicunt. Vale Florentia VIII, Kal. Februar. M. D, LXIIX.

PE-

PETRVS VICTORIVS S. D. Joanni Cratoni archiatro Cæsaris.

SIngularis tua humanitas Crato, mihi ex tuis litteris perspecta ac cognita, & inuitatio liberalis, qua vsus in ipsis es, vt vterer & gratia & auctoritate ista, qua flores apud optimum, & sapientissimum principem in omnibus meis rebus, fecit, vt auderem tibi aliquid oneris imponere. Cũ enim ingenio talis sim, vt non facile abutar benignitate amicorum; nec leui quaq; de caussa adduci possim, vt ipsis molestus sim: idem cum maior aliqua necessitas vrget, quæ honesta sit, non vereor confugere ad illos, & petere, vt auxilio sint; vt sane mihi vsu venit hoc tempore, non in priuata mea re, sed publica. Totũ autem tibi paucis narrabo. Est controuersia non parua de summo gradu honoris inter nostrum ducem, & ducem Ferrariensium: alterum socerum; alterum virum sororum Maximiliani imp. cuius quæstionis iudicem se professus est iustissimus iste princeps, studiosissimusq; sedanda-

rum discordiarum inter suos, sperans se caussa audita huic altercationi finem imponere posse. Mittitur autem istuc à nostro duce, vt ipsius caussam defendat, orator, cuius noster, magnæ nobilitatis, nec minoris ingenii, ac virtutis Ludouicus Antenorius, qui tibi epistolam hanc reddet, amicus summus meus, & dignus propter egregias animi sui dotes, qui ab omnibus probis & honestis viris ametur. Rogo igitur te, vt eum tua beneuolentia complectare, ac quibuscumq; rebus possis, iuues. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Cupio enim ipsum in ista amplissima, splendidissimaq; aula gratiosum esse. Non parum etiam sollicitus sum de exitu huius magnæ litis. Pertinet namque illa valde, vt præclarè te intelligere arbitror, ad publicam nostram dignitatem. Quare ego quoq; adductus sum, ipsam studio, ac vigiliis meis adiuuare, collegiq; scripto quodam meo, argumenta plurima, quibus doceo, hunc veterem nostrum honorem reip. nostræ, ductoriq; ipsius optimo atq; ornatissimo, eripi iure ac legibus non posse. Quod tu etiam si volueris, leges. Vale Florentia V. Non. Mai. Anno M. D. LXIIX.

vera prorſus eſſe iudicabis. Vale, & mihi audacter aliquid impera, in quo tibi aliquo modo prodeſſe poſſim; cuius rei, vt debeo, ac niſi fallor, quotidie magis debeo, mirificé cupidus ſum. Vale Florentia V. Non. Mai. M. D. LXIIX.

PETRVS VICTORIVS S. D. Ioanni Caſelio.

VEnit Florentiam Ioachimus Baſleuitius noſter cum è longo & periculoſo morbo conualuiſſet. Ipſum ego vidi libenter. Solicitus enim valde de vita & ſalute ipſius fueram. Paucos poſt dies ego accepi duas epiſtolas tuas, quæ mihi fuerunt pergratæ. In ipſarum altera erat accurata narratio eorum, quæ tibi in tam longo itinere contigiſſent: quæ fuerunt omnia proſpera ac veri honoris dignitatisq́; plena. Lætor igitur, ac vehementer quidem lætor, probitatem tuam ac doctrinam ab honeſtis multis & claris viris perſpectam eſſe & ornatam: in primis autem à Cæſare optimo & ſapientiſsimo imperatore omni honore & munere cumulatum, idq́; in dies vbicunq; eris, ple-

nius

nius vberiusq; factum iri confido. Hoc enim postulat tua virtus, quæ non potest vllo pacto in obscuro esse. Vt autem gauisus sum ob honores plaususq;, qui tibi dati sunt, dum in via esses, ita contra doluí te, cum domum peruenisses, non omnia illic læta, & vt volebas, inuenisse, quia incideris in funus fratris, probi & recta via ad laudem properantis pueri. Non conabor autem ego te nunc consolari, quippe cum sciam te sapientem esse, ac scire humanos casus oportere æquo animo tolerare. Ipse quoq; postquam tu à nobis discessisti, huiuscemodi domesticum vulnus accepi, quo vehementer conflictatus sum. Amisi enim vxorem, cum qua interuallo quinquaginta annorum vixeram, & vnde maximas vtilitates commodaq; in vita semper acceperam: amisi autem eo tempore, quo inprimis vtilis mihi vel necessaria potius opera ipsius & beneuolentia erat: sed, vt dixi, hæc mala, quæ vitare non possumus, sunt patienter ferenda. Vt autem aliquid ad te scribam de meis studiis, aperiamq; quibus in rebus toto animo nunc occupatus sim, quod semper faciam diligenter: volo enim vt tibi omnia mea nota sint, vt amico fideli & quem ego vnicè diligo: illi libri, quos ego addidi superioribus meis eiusdem nominis, excu-

excudi tandem cœpti sunt. Erunt autem absoluti, nisi aliquid incommodi natum fuerit, octobri mense. Statim vt in lucem prodierint, volumen vnum alterumuè tibi eorum mittam. Tu vero hoc tempore valebis, & in litteris tuis te oblectabis, mihique nunc ignosces, quod nimis breuis negligensq; sum in responso dando tuis longissimis & accuratissimis epistolis. Molestia enim magna & labores, quos capere cogor, dum corrigo errata impressorum, & quantum per me fieri potest, resisto incuriæ & inscitiæ ipsorum, id quod vt indignum est ac stomachandum, ita in hac vrbe necessarium, non relinquunt mihi aliquid temporis, vt possim officia erga amicos tueri. Florentiæ .X. Kalend. Sextil. Anno M. D. LXVIII.

PETRVS VICTORIVS S. D. V. Basseuitio.

APpropinquat iam tempus, V. suauissime, quo tu, si fidem fallere non uis quã nobis in discessu tuo dedisti, de reditu ad nos tuo cogitare debes. Redibis igitur

cum tibi commodum erit, & cum parentes tuos aspectu tuo iucundo satiaueris: & illo quidem animo ac consilio redibis, vt te totum tradas his humanioribus, & polito omni nobiliq; viro, qualis tu es, dignis litteris. Quod si facere volueris, vt ego te horror: & quia sum tuæ laudis & honoris cupidus, vehementer rogo: & in hoc præclaro decore consequendo neruos omnes tuos contenderis: operam tibi meam ac diligentiam in eo polliceor, ac re etiam præstabo, cuius mei animi & præstantis benignitatis erga omnes vestros adolescentes, qui se ad me aliquando contulerunt, tu periculum fecisti, & fructũ etiam inde non paruum, vt opinor, cepisti. Neque tamen hoc dico, quia putem vobis deesse, qui erudire iuuentutem & eximiè instituere possint. Quis enim nescit abundare vestras sedes omnibus rebus, quæ ad virtutem capessendam faciunt? quod si nemo alius istic foret, qui plures profecto sunt docti viri, & Græcis Latinisq; litteris eruditi, nisi Caselius quem tu scis quantopere ego admirer, & quantum ingenio ipsius doctrinæq; tribuam: ille vnus egregie hoc munus obire, & omni virtute honestàque arte te ornare facile posset. Non igitur ea causa dico, neque tantũ mihi arrogo: sed vt egregiam meam volun-

luntatem tibi aperiam. Cum enim te impellam ad honesta studia, auctorq; tibi sim, vt Musas has humaniores colas: quomodo possum non tibi, si quid in eo possum, polliceri? Vt tamen hoc nunc prætercam, teq; in hoc consilium tuum sequi sinam; nolim vllo pacto te hanc viam summæ laudis deserere, & studiis his elegantioribus nuntium remittere. Non posset enim hoc sine infamia aliqua tua contingere. Neq; enim tibi desunt ea, quæ impediunt sæpe aliquos, qui ipsis carent, ne institutum iter perficiant, & ad dignitatem aliquam in hac certa via honoris perueniant. Suppetit tibi ingenium: res familiaris superest: valetudo firma & integra est: voluntas, vt audio patris parata tibi ac prompta est: qui mirum in modum cupit te laudem hanc & gloriam adipisci: nec vlli sũptui parceret, contra ingenium multorum parentum, qui stultè ac improbè malunt filios diuites quàm egregiè institutos relinquere, & iis deniq; artibus præditos, quæ docent, qui verus sit fructus pecuniarum. Sed finem iam faciam, neq; aliũ præterea stimulum tibi admouebo. Tu vero putato, quæ à me dicta sunt, ut profecto illa sũt à beneuolo meo animo in te profecta esse, & mirificè

ſtudioſo tuæ dignitatis. Vale, meq́ue ama. Florentiæ.X. K. Sext. Anno M. D. LXIIX.


PETRVS VICTORIVS S. D. Joanni Cratoni.


Eciſti tu quidem Crato, quod ego maxime volebam, ac libenter quidem cumulateq; feciſti. Nunc enim denuo reſpondeo tuis litteris, quas XVI. Kalend. Quinctilis dediſti. Quare ago tibi gratias immortales, ac ſemper dum viuam iſtius tuæ humanitatis memor ero: vtinam compẽſare aliquo facto ipſam poſſem, rationemq́; inire, qua animo meo ſatisfacerem, cupido vehementer ſe tibi probandi, ac par pro pari, quod requirit officium boni viri, reddendi: certe ſi facultatem aliquam eius rei aliquando nactus ero, non dimittam, ac toto animo voluntati atq; honori tuo ſeruiam. Sed vt hæc relinquam, audiui cum magna mea voluptate iudicium tibi meum probari, teſtimoniumq́; quod dedi apud te duobus noſtris hominibus, qui miſſi ſunt iſtuc à duce noſtræ reipublicæ, de non vulgaribus ipſorum virtutibus, verum à te exiſtimari. Tu ergo perges, quacunq; ratione honeſtè facere po-

poteris, eos iuuare, & amore beneuolentiáque tua singulari prosequi. Erit id mihi mirum in modum gratum. Verum tibi Caselius narrauit, me in manibus habere nouos quosdam meos libros variarum lectionum, quos edere cuperem. Sed negotium hoc valde lentum fuit, nec tamen citò quam optabam, culpa impressorum, hæc res initium habuit: sed tamen aliquando excudi cæpti sunt; & opus iam ad dimidiam partem perductum. Statim igitur vt absolutum erit, volumen eius ad te mittam, postquam tu quoq; non despicis omnino genus hoc scriptionum, vel vt veriore nomine ipsas appellem, has meas ineptias. Thomam Redigerium, ciuem tuum, quem mihi commendas; cum hoc veniet, videbo libenter, & quibuscumq; potero officiis prosequar. Cum enim huius animi sim erga omnes vestros homines, cuius meæ præclaræ voluntatis in ipsos multos testes habeo, quanto magis esse debeo in illum, quem tibi tam carum acceptumq; esse video. Vale Florentia.

XIX. Kal. Septembris Anno M. D. LXIIX.

PETRVS VICTORIVS S. D. Ioachimo Camerario.



Itteræ tuæ Viennæ datæ D.XXI. Septembr. fuerunt mihi periucundæ, vt cetera omnia tua semper aduersum me grata & accepta fuerunt. Amo igitur Cratonem, qui quemadmodum multis aliis rebus me ornat, studetq; quantum potest, mihi placere, ita etiam huius voluptatis, quam cepi ex tua epistola, fons mihi & origo fuit. Vere autem ille tibi dixit, rationem istam mittendi ad nos litteras certam & exploratam esse, dum præsertim istic est orator ducis nostræ reipub. Crebro enim contingit publicas litteras huc perferri, cum quibus meæ semper fideliter celeriterq; venient. Missus est autem fasciculus vester ad me quatuor ab hinc diebus. Sum autem nunc ruri, in quo me oblecto his rebus, quæ sunt propriæ huius loci & ætatis meæ, id est, sero arbores, & in studio hoc agri colendi occupatus sum: nec tamen omitto studia doctrinæ, sed horas semper aliquas diei ac iam noctis quoq; consumo in scribendo aut legendo: post paucos dies reuertar in vrbem, atq; ibi vehe-

vehementius litteras & Musas colam. Te istic nunc versari in re publica, vocatumq; esse à Cæsarea maiestate, vt intersis consiliis paucis, libenter audiui. Hæc vero est cura propria doctrinæ & probitatis tuæ. Vtinam egregiam aliquam operam in eo nauare possis, vt remedium tandem inueniatur præsentibus malis, quæ grauia admodum sunt, & pulcrum firmissimumque corpus reip. corrumpunt ac dissipant. Sed hoc potius optari, meo iudicio, quam sperari potest. Ego mittám ad te cito illos, de quibus antea ad te scripsi, nouos meos libros variarum lectionũ, Nondum enim absoluti sunt, pauca tamen excudenda restant. Vale, & saluta meo nomine humanissimos & doctissimos iuuenes, filios tuos, quos ego, vt imaginem paternæ virtutis, valde amo & in oculis fero. Ex agro meo Cassianensi XVII. Kal. Nouemb Anno M. D. LXIIX.

PETRVS VICTORIVS S. D. Joanni Cratoni.

FAsciculus ille epiſtolarum, quem ad me miſeras, delatus eſt ad me IV. id. Octob. cum ruri eſſem, illo ipſo die, quo Thomas tuus Redigerius ad me ſalutatum venerat. Eſt enim villa mea viæ Romanæ propinqua. Cum ipſo autem totum pæne diem conſumpſi, oſtendens illi ordines olearum: totumq; agrum meum ſatis eleganter conſitum: delector enim mirificè rebus ruſticis: ſed etiam ſtirpes nonnullas peregrinas, quas animi cauſſa in illo ſeui, vt platanum, piſtacium, cythiſum, rhu obſoniorum: interimq; multa philologa: & quæ pertinerent ad ſtudia bonarum artium: tendimus etiam retia turdis, quorum magna vis ipſis diebus, vt natura eius auis eſt, in hæc noſtra loca trans mare aduolarat, cepimusq; non paucos. Libenter autem ille mihi viſus eſt illi aucupio intereſſe. Omni igitur genère ſermonis, & quibuscumq; præterea potui muneribus, atq; ipſe paſſus eſt, ſtudui ipſi placere. Filius vero meus, qui in vrbe erat, cum Redigerius venit, & ipſe antè operam illi dederat, & monſtrarat præclara quædam, quæ cuncti aduei-

aduenæ, politi homines, qui huc veniunt, visere solent. Cùm autem ille in sermone mihi indicasset, se Neapolin etiam accessurum, ne illuc plane hospes veniret, scripsi ad amicum summum meum, qui illic viuit, honestum & eruditum virum, mandauiq́; vt Redigerium comiter acciperet, quod ipsũ omnino facturum confido. Nam Romæ duos habeo nostros ciues, doctos itidem & nobiles homines, qui rogatu meo eidem, comitibusq́, quos secum plures habet, omnia officia præstabunt. Si igitur, vt voluntati tuæ; officioq́; probi viri satisfacerem; non omnia, quæ debui, certè cuncta, quæ potui, feci. Perge autem, cum occasio tibi datur facultatem mihi præbere, parandi huiusmodi aliquos amicos. Magnum namque ego semper id beneficium putaui. Vale, & me, vt facis, ama Ex agro meo Cassianensi.

XVII. Kal. Nouemb. Anno

M.D.LXIIX.

PETRI VICTORII EPISTOLARVM AD GERMANOS MISSARVM.

LIBER TERTIVS.

PETRVS VICTORIVS S. D. Ioanni Caselio.



Itteræ tuæ IIX Ka. IIXbr. datæ, fuerunt mihi valde caræ, vt ceteræ omnes, quæ omni tempore à te profectæ sunt: multo tamen hæ cariores, quia longo interuallo sine eis fuerã: quod mihi sane non parum molestum erat. Nosti enim, quàm sit amor omnis sollicitus. Præter enim quam quod carebam fructu ac suauitate illarum, verebar etiam, ne tibi aliquid incommodi accidisset, cum sciam, quàm diligens sis in scribendo. Non enim arbitror facile aliquem inueniri posse, qui te in hoc officio vin-

vincat. Cognoui autem indicio postremarum harum te alias ad me scripsisse, respondisseq́; illis meis, cum quibus ad te misi libros, à me nuper editos: quæ tamen in itinere perierunt: certe ad manus meas adhuc non peruenerunt. Impleuere igitur hæ me lætitia magna, quia video te valere, ac posse optimis artibus operam dare. Recordor enim superioris tui grauissimi morbi, sententiæq́; medicorum, qui pæne tibi omni genere studiorum interdixerant: vnde nascerentur incommoda non parua. Nam & sperato fructu laborum tuorum gloriaq́; caruisses, & qui magnas vtilitates ex tua doctrina capere possunt, & quotidie capiunt, repente illis spoliati fuissent: sed ego quoq; qui celebror, ferorque in cœlum monimentis ingenii tui, non mediocre inde damnum fecissem. Bene igitur factum est, quod periculum nullum nobis instat tam grauis mali: tu tamen valetudinem tuam tuere: diligentiæq́; plurimum adhibe, vt te tibi nobisq́;, qui te valde diligimus, conserues. Ego certe valeo, ac firmioribus etiam corporis viribus sum, quàm, cũ tu hic aderas, eram: quod tamen mihi non contingit, quia remiserim aliquid de laboribus, assiduisq́; meis ingenii exercitationibus: quin potius in ipsis maiore

diligentia curaq; versor, quàm vmquam fecerim. Cum enim tu mihi & alii plures amici suaseritis, vt adgrediar ad opus illud multarum vigiliarum, conerq; explicare libros Aristotelis de optimo statu ciuitatis: scito nunc me nihil aliud moliri, incumbereque in eàm curam toto animo. Quod igitur à tenuibus ingenii mei viribus, mediocriq; eruditione expectari potest, non patiar amplius à me desiderari. Nullum enim sino diem præterire, quo non aliquid noté, quod eo faciat, eruàmque aliquid è tam magno cumulo difficultatum. Vt autem scias, me non oblitum esse studium illud, quo vidisti me magnopere teneri, & quod etiam vna diligenter cognouimus, narrabo tibi, me scripsisse libellum de cultura olearum, fructibusq; magnis & multis, qui capiuntur ex hac nobili stirpe, & quasi confecisse ἐγκώμιον ipsius: atq; illum, vt communior sit, patrio nostro sermone. Est autem ille in manibus omnium, qui re rustica delectantur, & non parum probatur, peragrauitq; vniuersam Italiam. Si igitur facultatem aliquam ad te ipsum mittẽdi habuero, vtar ipsa, etsi regio vestra hanc arborem respuit, vt scilicet regustes aliquando nostrum sermonem, quo valde delectabare, & quem etiam ita didiceras, vt in media

Etruria natus & altus viderere. Putabis enim cum leges, te mecum loqui. Oricellarius & Ricardius delectati magnopere sunt salute, quã voluisti me ipsis tuo nomine dicere, teque vehementer amant, quod tam firmam eorum memoriam retineas, ipsosq; absentes tanto spatio terrarum ita ames, vt, cùm præsentes aderant, amabas. Hoc enim proprium esse intelligunt probi viri. Vale Florentiæ V. d. Xbr. Anno M. D. LXIX.

PETRVS VICTORIVS S. D. Ioanni Caselio.



Vltas ego tuas, & eas quidem omnes suaues ac plenas summi amoris accepi epistolas ex eo tempore, quo à nobis discessisti: pluribus autem illarum statim respondi, nec tamen omnibus: expectabam enim, vt liber ille meus, quem nosti, excusus foret. Vnà enim cum litteris ipsum mittere volebam: negotium vero hoc magis lentum fuit propter varia crebraq; librariorum impedimenta. Ipsum igitur tu nunc leges: etsi multo ante legisti. Sed tamen quædam, vt videbis, addidi, nõnulla etiam mutaui. Cum autem mihi nunc è manibus exierit hic liber, qui me requiescere non patiebatur,

est

(est enim multo maior labor, quam quisquam putaret, huiuscemodi scripta conficere) nec sinebat conuertere animum ad alia maiora studia: incumbam toto pectore in curam illam, quam scis, ac dabo operam, vt ad finem perducam opus illud, quod mihi multo ante proposui. Expecto autem iudicium vestrum de hoc meo volumine: Vestrum autem consideratè dico, non tuum. Tu namque quid existimares de ipso, iam pridem mihi significasti: præterea non multum in hoc tibi tribuo. Amor enim, quo me persequeris, non te sinit veré de meis rebus existimare, & tamen posses, cum id adgrederis, te ipso spoliare: aut si non posses, cum hæream tibi in medullis, saltem deberes. Puta igitur auctorem esse huius operis nón Victorium tuum, sed alienum hominem, Quod si hoc præstare volueris, magis tunc ego iudicio tuo, quàm alius vllius assentiar. Sed his relictis, (puto enim te non minus hæc de me audire cupere) ego valeo, ac magis etiam, quam vmquam antea fecerim, litteris inuoluor: nec tamen ex animo dimisi oblectationes illas meas, quas scis. Menses enim eos, quos soleo, ruri consumo: & agris meis conserendis operam do. Studium enim hoc me quotidie magis tenet. Postquam autem
hinc

hinc discessisti, non parum eos instruxi & his ipsis etiam diebus opus incepi, quod valde fructus, vt spero, & splendorem ipsorum augebit. Nec tamen omnia mihi hoc tempore secunda contigerunt. Amisi enim uxorem, cum qua iiucunde spacio L. annorum vixeram: ex cuius interitu incredibilem dolorem sensi. Puto enim ad aures tuas aliquando peruenisse, cum hic esses, quám grauis illa prudensq; femina foret. Incommodum autem, quod inde accepi, quotidie me magis premit: nec possum vllo pacto ipsum obliuisci. Pauci igitur mortales inueniuntnr, qui non crebro confli&tantur aliquo malo. Tu quoq; mihi significasti, cum in itinere adhuc esses, in huiusmodi acerbum casum te incidisse, fratremq; tuum, puerum optimum, fato functum tunc fuisse; qui nuncius mihi valde molestus fuit. Perspexi enim ex tua epistola, quantopere tu illum dilexeris. Sed etiam cum tua, quam accepi his diebus, epistola, erat ea, quam ad Basseuitium scripsisti, de obitu matris ipsius: quàm odiosam plagam, vt audiui, ille à te primo cognouit: etsi litteræ sero venerant. Oportet igitur cogitare nos homines esse, & hac conditione in hanc vitam venisse, vt hæc incommoda penitus vitari non possimus.
Ego

Ego certe conor animum meum confirmare, & reſiſto dolori, quantum valeo, qui tamen crebro me refricat, ac pungit: ſed finem faciam mærendi, ne συμπάθειαν tuam euocem. Scio enim te valde rebus meis aduerſis ſolicitari. Vnum autem tuum non accepi faſciculum litterarum: in quo erat epiſtola Ioachimi Friderici. Quare, cum ſcribes ad ipſum; quod illi epiſtolæ non reſpondi, me ipſe excuſabis ſedulo, neque enim potui. Mitto autem ad eum vnum ex his meis libris, qui erit vná cum reliquis. Tuæ nunc partes erunt curare, vt ad eum perferatur, & exile hoc meum munuſculum verbis tuis politiſſimis ornare. Feciſſem vero ego libenter, quod mihi ſuaſeras, pertinens ad hanc rem, ſed veritus ſum ne viderer aliquibus officio meo deeſſe, qui relictis noſtris, maximè illuſtribus, alienos, licet omni honore digniſſimos viros celebrarem; ſimulq; apud ipſos offenderem, quorum mihi beneuolentiam, quacunq; re honeſta facere poſſum, conciliare debeo. Vale, & à me nunc, poſtquam ſolutus illa moleſtia ſum, crebriores litteras exſpecta. Florentia

XI. Kalen. Febr. Anno

M. D. LXIX.

PETRVS VICTORIVS S. D. Ioachimo Basseuitio.

MAgnum vero accepi dolorem, Basseuiti, cum ex litteris Caselii nostri cognoui, matrem tuam prudentissimam & optimam feminam mortuam esse. Prius enim tristis hic nuncius aures meas attigit, quam tuas perculit. Quod si quemadmodum in mea manu positum erat facere, ne illa ad te eo tempore plaga aduentaret, ita ipsam penitus delere & a te amoliri potuissem, libenter id fecissem. Cupio enim te ab omni molestia vacuum esse, semperq; cum potero hoc fideliter geram, ac toto animo in eam curam incumbam. Minister igitur aliquo modo fui tui luctus, quod noluissem. Præter autem ægritudinem, quæ te merito tali casu inuasit, vel potius, vt ego ex tuis & aliorũ litteris perspexi, totum oppressit, præclare intelligo, rationes omnes tuas conturbatas esse, nec commode nunc posse, quietóque animo cursum tuorũ studiorum conficere, & tanto temporis spatio, quantum illa requirunt, domo abesse. Non possum autem te, vt vellem, in hac re consilio iuuare. Neque enim res

tuæ

res tuæ domesticæ ita mihi notæ sunt, vt valeam iudicium meum in illis interponere. Tu igitur hoc videbis, & quæ prudentia tua est, intelliges, quid officium existimatioq; tua postulet. Vnum tantum ego tibi suadeo, vt si vllo pacto id obtineri potest efficiq;, ne absentia tua res tuæ priuatæ incommodi aliquid maioris accipiant, non patiaris studia ista tua honesta, & quæ tibi fructum magnũ honoremq; aliquando necessario parient, in medio cursu frangi ac dissipari. Sed hoc nunc relicto, reuertar ad originem horum consiliorum, quod profecto malum tibi commune est cum multis, à naturaq; ipsa, cuius rationi aduersari non possumus, neq; etiam debemus, inuectum est. Quare æquiore animo id ferre oportet, & hoc sane officium videtur esse hominis, qui aliquam partem sanitatis in se habeat. Quod si ab aliquibus hoc non sine causa postulatur; iure optimo flagitatur ab illis, qui animum optimis artibus excoluerunt. Cur enim illi tantum studii in doctrina percipienda posuerint, si auxilium inde petere non possunt; ad huiuscemodi casus tolerandos? nec vti optimis illis præceptis in ægritudine propria suáque lenienda? Si sermo mihi esset cum aliquo, alieno à Musis, & qui nullam vmquam cogitationem susce-

suscepisset de animo expoliendo, & contra hæc fortunæ vulnera armando, accederem ad doctorum hominum scripta, depromeremq; inde præcepta multa, quæ sedulo ab illis collecta, sint huic tempori accommodata: sed quia hæc omnia præclarè cognita habes, potesq;, si putas te medicina hac egere, ipsa, cum tibi commodū est, vti, supersedebo ego omni hoc inutili labore, remediúmque tibi promptum ac paratum, in tuo arbitrio & potestate positum esse sinam. Eò potius me conferam, cupidus magnopere te iuuandi, quo nisi valde te amarem, aspirare non auderem, ne viderer arrogans esse, & me, meaq; cuncta nimis stultè amare, quod vitium semper declinaui, &, quantum potui, ex animo meo eieci. Illó inquā, me conferam; rogaboq; vt me, cui tu semper plurimum ob tuam singularem probitatem tribuisti, imitere, qui cum superiore anno huiuscemodi incommodum accepissem, vxoremq; mihi carissimam amisissem: tamen, quamuis imbecillus & senex, dolori restiti, nec me confici luctu ac mœrore passus sum: nec tamen infitior valde molestum mihi casum illum fuisse, & primo statim tempore ipsum me magnopere perturbasse. Quomodo enim aliter fieri potuit? perdidi, quod me pluri-

mum in vita delectabat, atq; vnicum solatium grauis huius meæ ætatis erat, illamque demum, cum qua statim, pueritia egressus, mirifico quodã amore coniunctus fui. Nosti autem, quæ vis sit consuetudinis, & quemadmodum ipsa nos sæpe cogat res aliquas sua sponte duras & asperas amare, atque in illis tractandis iucundè versari. Quanto igitur magis ego illam diligere debui, cum qua, præterquàm quod omnem pæne ætatem consumpseram, certe vixeram cum ipsa spatio quinquaginta annorum: suauissimis illius moribus numquam expleri potui, quotidieq; magis eam erga me beneuolam expertus sum. Quid enim ego nunc multa loquor de prudentia ipsius, rationeq; magna ac studio, quod ponebat in tuenda re familiari? qua in re me multis magnisq; sollicitudinibus omni tempore liberarat. Sed nolo amplius, commemoratione illius virtutum, vetus meum vulnus refricare, quod iam aliqua ex parte obduruit: ac fortasse voluptas, quã capio ex recordatione ipsius, (ita enim mihi ante oculos ipsam habere videor) me impulit, vt longius quàm oportebat hunc de ipsa sermonem produxerim. Idem igitur, vt iam reuertar, quó debeo, tibi suadeo vt facias, modumq; constituas ægritudini. Potes enim

iam

iam ſentire: lacrymas nihil prodeſſe, nec copia & effuſione illarum mortuos in vitam reuocari. Cur igitur nos ſine fructu vllo maceremus? Præterea ſemper lugere licebit. Eueniunt enim crebro hominibus huiuſcemodi aliqui caſus, contingitq́; ipſos interitu neceſſariorum ſuorum, aut ſodalium conflictari. Quare ſi totos nos luctui tunc tradere vellemus, perpetuo in lacrymis & angoribus iaceremus. Alius autem finis hominibus propoſitus eſt, neq; nos in hanc vitam venimus, vt ipſam in perpetua triſtitia traduceremus: ſed potius, vt ſemper aliquid viro dignum, mente verſaremus, & quantum etiam vires noſtræ pati poſſunt, præſtaremus. Hæc ſunt, quæ mihi in mentē venere, apta non parum, vt arbitror, ad te conſolandū. Functus vero eſſe multo prius pio hoc munere, ſi tēpus illud huic rei agendæ opportunū eſſe iudicaſſem. Volui enim locū dare dolori, & humano huic naturaliq́; officio tuo lugendi tuos non ſtatim aduerſari. Vt enim tunc nimis violentū atq; acerbum remediū hoc fuiſſet, cum vulnus ſcilicet recens adhuc erat, ita nunc poſtquam affatim ſatisfeciſti materno amori, niſi valde fallor, idoneum ipſum & accommodatum exiſtimari debet. In me autem ego id verum eſſe expertus ſum. Primo
 enim

enim medicinam omnem doloris respuissem: deinde cum putaui me officio & naturæ obtemperasse, non solum non spreui, sed sedulo etiam ipsam requisiui. Quod si nullum horum argumentorum quidquam ad dolorem tuum mitigandum valebit, debebit saltem te mouere voluntas & auctoritas mea, quam tu in omni alia re sine vlla dubitatione secutus es. Rogo enim te, ac vehementer quidem, vt hoc facias, affirmoque ex hoc consilio meo emolumentum ingens laudèmque prorsus adepturum, ac tuis omnibus, & illi etiam mortuæ gratissimum facturum. Vale Florentia, X. Kalend. Mart. Anno M. D. LXIX.

PETRVS VICTORIVS S.D. Ioanni Cratoni.

LItteræ tuæ XIIX. Kal. Febr. datæ, fuerunt mihi multis modis iucundæ: vnum tantum in extremis illis molestum fuit, ac vehementer animũ meũ perturbauit, quod mihi narrasti de graui morbo Caselii, qui diu ipsum oppressũ tenuit. Cæpi enim subito non sine caussa valde metuere de

vita

vita ipsius, recordatus superioris eius infirmæ admodum valetudinis, qua diu & periculosé apud nos conflictatus est. Deus opt. max. præsidio ipsi sit, & tam probum, & disertum virum omni malo liberet, diuq; nobis incolumem seruet. Sed reuertar ad epistolæ tuæ partes, lætas & summi amoris plenas, quæ me gaudio perfuderunt: in primis autem me delectauit, quod vidi te librũ meum laudare, atque hoc quidem, quia te posse de his rebus præclare existimare compertum habeo, & virum bonum, ab omniq; simulatione alienum arbitror. Lætor igitur labores, quos sustinui magnos in his rebus colligendis, non omnino irritos fuisse, nec frustra à me susceptos. Extitere quoque alii, variis temporibus, honesti & eruditi viri, qui mihi idem, quod tu, consilium dederunt, vt conficerem scilicet volumen Latinarum mearum epistolarum, atque ederem. Quare statui parere vestræ voluntati. Hac igitur æstate in eam curam incumbam. Quod mihi narrasti Sambucum lectione mei libri se oblectare, audiui libenter, exemplar quod ad eum miseram, non periisse in itinere, de quo non parum solicitus eram. Neque enim certo homini, & qui ipsum visurus esset, perferendum dederam,

nisi forte tu illi tuum commodasti. Volo vt mihi significes aliquid diligenter de Caselii inualetudine. Torqueor enim magnopere hoc casu ipsius. Pauci namque sunt, quos æquè, atque illum diligam. Nihil aliud habeo, quod ad te nunc scribam, tantum prætereà rogabo Crato humanissime, vt me ames, & istam eximiam voluntatem ergà honorem meum, in quam sponte tua ingressus es, retineas, Vale Florentia XIV. Kal. April. Anno M. D. LXIX.

PETRVS VICTORIVS S.D. Joachimo Basseuitio.

Litteræ tuæ, XIIII. K. datæ, fuerunt mihi periucundæ: iucundiores tamẽ multo fuissent, nisi mihi quod nesciebam, quodque mihi audire molestum fuit, nunciassent te diu ægrotasse, neq; adhuc omnino corpore confirmatum esse. Cupio enim te valere, & omnibus commodis vitæ, vt dignum tua probitate virtutèque est, abundare. Nam quod te vehementer me amare dicis, recordationeq; nostri valde delectari, nihil mihi nouum, neq; inusitatum narras.

narras. Cognoui enim te semper fidelem verumq; amicũ esse, ac prorsus φιλόφιλον quæ certe non mediocris laus est, cũ magna pars hominum studeant potius amici videri, quã esse, vnde non parua incommoda nascuntur. Hi namque sunt, qui si ficti simulatiq; sũt, possunt profecto valde nocere, ac sæpe etiam non parum, neque in paruis rebus obsunt, cum ipsis omnia nostra credamus. A Caselio paucis ante diebus litteras accepi, amoris quidem illas ac fidei plenas. Ipsis autem statim vt debebã respondi, quod semper diligenter faciam, cum potero, id est cum ipsius epistolæ saluæ in manus meas peruenerint. Nam cognoui ex illis plures eum ad me scripsisse, quæ in tã longo itinere perierunt. Valde ego, vt scis, amo hominem atque hoc ipsius officio delector: eruditionem autem admiror, bonitatemq; singularem. Cum domum reuerteris, accurate ad eum scriptas dabo, ac si quid noui tum habebo, tibi potissimum id onus ferendi ad ipsum iniungam. Cum Botuitus ad me scribet, libenter eius epistolam legam, ac si quid mihi mandabis, sedulo faciam. Tu vero serui valetudini, vt plane firmum vegetùmque itineri te committas, & incolumis ad nos redeas, mihiq; si aliquid tua causa efficere possum, audacter

impera. Vale Florentia. Prid. Kalend. Ian. M. D. LXIX.

PETRVS VICTORIVS S. D. Thomæ Rhedigerio.

Perspexi ego statim, te vt vidi, egregiam tuam indolem adolescens optime, incensusq; sum desiderio magno tibi placendi: cui voluntati meæ viam antea munierat suis litteris Crato, qui te mihi diligenter commendarat, & vt quacunq; re possem, honori tuo commodisq; præsto essem, rogauerat. Cratonem autem ego diligo vehementer, vt probum & doctum virum, valdeq; dignitatis meæ studiosum. Omni igitur re, qua cognouero me posse illi satisfacere, toto animo semper in ipsam incumbam. Feci autem quod potui, accommodatùmque esse existimaui ad honorem tuum atque animi voluptatem, conatùsque sum etiam nonnulla, quæ nescis, eodem pertinentia: etsi illa exitum non habuerunt: voluissem multo plura præstare me posse, quæ digna erant persona & probitate tua: illa tamen cũ superent meas vires, confido me apud te excusa-

cuſatum fore. Nemo enim cogi poteſt id moliri, quod efficere non valet: atque hoc ſemper iudicium fuit ſapientium virorum: quod Heſiodus etiam, cum ſedulo hortaretur ad gratiam referendam, tetigit. Huius autem animi erga te & laudem tuam, donec viuam, ſemper ero. Videbis ergo tu omni tempore, ſi qua in re vtilitatibus tuis inſeruire poſſim, me certe habebis promptum paratùmque tuis commodis perſequendis. Neque tamen te nunc oportebat ob tam tenue munus, exileq; præſertim cum liber communis pervulgatusq; iam factus ſit, tantopere me laudare, præterquam quod ampliore dono ipſum compenſaſti. Neſciebam autem te venatorem eſſe: aut ſi forte ſtudio illo delectarere, quod proprium eſt ætatis & nobilitatis tuæ, iſtic ſaltem ipſi operam dare. Sed puta me in hoc tecum iocatum eſſe. Quod vero ad te pertinet, commendo ego valde liberalitatẽ tuam, atq; id quod ſupra etiam ab animo ſincero profectum tibi narraui, itero, aſſeuerôque, me ſẽper quacunq; re potero laudi tuæ fauturum. Vale Florentiæ IIII. Kal. Febr. Anno M.D.LXIX.

PETRVS VICTORIVS S. D. Joanni Caselio.

LItteræ tuæ, V. Id. Mart. datæ, fuerunt mihi gratæ mirum in modum; exſpectatio quoq; illarũ, quas polliceris te ad me ſcripturum ſub Kal. Aprilis multo vberiores accidit mihi iucundiſſima. Epiſtolam tuam ad Ioachimum Baſſeuitium miſi ſtatim, vt iuſſeras: ipſum autem videram non multis ante diebus bene valentem. Miſſus enim fuerat ad principem noſtræ reip. communi nomine veſtrorum iuuenum, Senis honeſtarum artium perdiſcendarum cauſſa degentium, vt commoda quædam ab ipſo impetrarent: quod negotium facile & ex ſententia confecit. Ego vrgeo opus illud magnum, tibi notum: quod vereor, ne me pondere ſuo opprimat. Quotidie enim magis intelligo, non eſſe illud onus meorum humerorum: conabor tamen ſtudio, & diligentia ſupplere, quod ingenium & doctrina præſtare uix poteſt. Tu me amato, exploratũmque habeto, paucos eſſe mihi, ita vti tu es, caros: quod facio merito & amore tuo magno erga me officiisq; impulſus: dicerem coactus, niſi pronus valde eſſem erga he-

honorem, & existimationem tuam, nec stimulo vllo in hoc egerem. Vale Florẽtia. XV. Kalend. Iun. Anno M. D. LXX.

PETRVS VICTORIVS S. D. Joanni Caselio.

CVm paucis antea diebus ad te litteras exarassem longiores, quibus tuis respondi, accepi ex epistola Basseuitii nostri, qui Venetiis nunc degit, ipsum ex Italia discedere, domumq; redire nunc velle. Quare committere non potui, quin rursus ad te scriberem: quod tamen sine tanta etiam occasione libenter facerem. Aspicere enim mihi te videor, quem valde amo, ac tecum familiariter loqui, cum ad te scribo. Certa autem de caussa factum est, ne ille in discessu hoc suo me salutarit, quam ab eo accipies. Ipse quoque iusto hoc eius impedimẽto magna lætitia priuatus sum, quã cepissẽ ex aspectu ipsius. Scis enimquantopere hominem diligam, & quantopere ipsum dignum putem, quem omnes politi & docti viri amplexẽtur. Tu igitur pro me diu istic fruere moribus & comitate ipsius. Nisi autẽ scirẽ te eum valde amare, auderẽ etiam tibi illũ cõmendare, atq; id quidẽ de meliore nota: cognosce-

gnoſcere autem hinc potes quantus ſit amor meus erga illum. Nam quin auctoritas tua in iſtis locis plurimum ei prodeſſe poſſit, non dubito: vtinam mea tanta apud veſtros opulentos homines ac principes viros foret, gradus nullus honoris ei deeſſet: ſed teſtimonio tuo, & gratia, qua flores apud illos, quod ego efficere non poſſum, facile præſtabis: ipſius etiam induſtria doctrinaq; varia facile per ſe intelligetur, ac viam ſibi aperiet ad honores, & non paruos gradus dignitatis. Quare de hoc non laborabo, neq; tibi aliquid oneris imponam, vt illum magis, quam facis ex vetere noſtra conſuetudine priſtinoq; iudicio tuo erga illum, foueas & in manibus habeas. Vale Florentia Prid. Non. Nouemb. Anno M. D. LXX.

PETRVS VICTORIVS S. D. Joanni Cratoni.



Cripſi ad te, vir optime meiq; amantiſſime, paucis antea diebus: cum tamen Ioachimus Baſſeuitius, cum quo mihi magna conſuetudo fuit (vixit enim Florentiæ plures annos, dans operam poli-

politioribus litteris) istac iter facturus sit, volui ipsi quoq; ad te litteras dare. Is autem te, si scire volueris, de omni statu meo certiorem faciet. Sed etiam, cum idem Senis nostris diu manserit, iuris ciuilis perdiscendi studio inflammatus (putauit enim oportere se quoq; domum redire ornatum scientia hac vtili magnopere vitæ ac rebus gerendis accommodata) de Nericio tuo multa narrare poterit. Fuit enim illic valde ipsi familiaris. Quod autem præter hæc multum valet, inprimisq; me impulit, vt tibi illum traderem, omnibus de rebus dignus est amicitia tua, cum sit probus iuuenis, suauissimisq; moribus præditus, & omni eleganti doctrina decoratus. Amabis igitur hominem, &, si qua re poteris, ipsum iuuabis: spero te ex congressu colloquioq; ipsius, voluptatis non parum capturum. Vale Florentia Prid. Non. Nouembr. M. D. LXX.

PETRVS VICTORIVS S. D. Ioanni Caselio.

Litteræ tuæ, IIX. Kalend. Septemb. Suerino datæ, fuerunt mihi valde iucundæ, vt ceteræ omnes tuæ. Expressisti

namq;

namq; in illis animum tuum pronum erga me honoremq; meum mirum in modum: quod tamen non nunc primum fecisti: sed statim vt à nobis discesseris, vehementer in hanc curam incubuisti, totóq; pectore conatus es, quocunq; veneris, seruire laudi ac gloriæ meæ, & beneuolos aliquos mihi oratione tua prædicationeq; mearum laudum conciliare, in quo tamen vereor, ne valde peccaris, qui illa, si qua sunt in me laude digna, nimis extuleris, & modum nullum in me celebrando seruaris. Sed hoc totum proprium est tuæ probitatis & virtutis singularis. Magis enim φιλόφιλον, quàm te, cognoui adhuc neminem, nec facile arbitror inueniri posse, qui ad hanc laudem propius accedat. Laudem enim ipsam iudico, & eam quidem non paruam. Verum de hoc nunc verbum amplius non addam. Sæpe namq; vt video, mihi occasionem præbebis tibi de hac tua incredibili humanitate, naturæq; bonitate gratias agendi, & noua quædam prædicandi. Audire quoq: de rebus tuis bonis crebro aliquid, amorèq;, quo te prosequitur princeps tuus, fuit mihi valde gratum, non minusq; lætor, commodis istis tuis, quàm si mihi illa ipsa obtigissent. Cum autem de virtute & liberalitate ducis Megap. á multis multa iam

ta iam pridem cognouerim; hoc quoq; mihi non paruum ſignum eſt ſapientiæ ipſius ac iudicii ſingularis, quod operam dat, vt liberi erudiantur, & honeſtis artibus diligenter incumbant, tèque huic curæ præfecit, qui egregiè, quod in hoc munere obeundo requiritur, præſtare potes: Quis enim neſcit in pueris inſtituendis teneràq; illa ætate expolienda in primis neceſſariam eſſe doctoris probitatem, deinde fidelem elegantemq; eruditionẽ? quæ profecto in te non mediocria ſunt. Sed pollicitus ſum ſupra me de tua laude ſilere nunc velle. Quare ne tam cito oblitus id videar, reuertar ad principem tuum, qui dum hoc curat, eodem tempore honori filiorum proſpicit, & vtilitati populorum, quos regit. Cum enim ipſe eos recte ordinèq; gubernarit, cuius rei gerendæ, maximæ omnium rerũ, facultatem conſecutus ſit, non parua ex parte, à doctrina ſcientia bonarum artium, quá ornatus eſt: videtur prudenter benigneq; facere, atque iiſdem conſulere, cum prouidet, vt etiam poſtquam ipſe lege naturæ liberatus hoc onere fuerit, à ſuis, præditis iiſdẽ dotibus animi, cuſtodiantur, & quantũ effici per ipſos poterit, beati reddantur. Cum igitur hæ tuæ partes nunc ſint. Suſcepiſti enim perſonãPhœnicis, qui à Peleo

patre Achilli informando delectus est, vt redderet illum studio suo, μύθων ῥητῆρα πρηκτῆρά τε ἔργων. Cum, inquam, hæ tuæ partes sint, debes in hoc præclaro honestoque munere toto animo versari, & omnes cogitationes tuas consumere. Ego autem, etsi compertum habeo, te omnibus rebus abundare, quæ tanquam instrumenta sunt huius ædificii, magnificiq; operis, nec vllam in partē mea ope egere: tamen, si qua re potero tibi prodesse, vt semper cæteris in rebus sedulo feci, ita in hac quoq; tibi non deero, atq; id desiderio, quo flagro te ornandi. Tu igitur videbis, qua potissimum in re tibi vtilis esse possim, laboremq; tuum minuere: atque omnem interim diligentiam adhibebis, neruosq; ingenii contendes, vt onus, quod suscepisti, ad finem summa cum laude perducas. Vale Florentia V. Kalend. IXbr. Anno M. D. LXX.

PE-

PETRVS VICTORIVS S. D. Ioanni Caselio.

HEri accepi epistolam tuam Caseli optime, mihiq; carissime, datam V. K. Sept. quæ me refersit lætitia singulari. Amo enim te, & merito quidem amo, memoriaq; tui vehementer delector, quæ sine tuis etiam litteris numquam ex animo meo discedit. Cur enim non diligam. (omitto virum doctum & scientia multarum rerum instructum) tam probum virum tamq; mei amantem? amo igitur te tibiq; omnia bona opto, postquam tanto spacio terrarum seiunctus nihil efficere possum, quo te iuuem; & in hac re animo meo satisfaciam. Quæ certe á me proficisci possunt ad dotes animi tui celebrandas, multas & magnas, etsi præconio meo non eges, parata tibi semper erunt; nec vllam vnquam occasionem huius rei amittam. Te valere ac firmiore corpore esse, quam solebas, gaudeo: hortorq; vt summo studio valetudini seruias, quod facere nunc debes, non tantum salutis tuæ tuendæ causa, verum etiam lætitiæ, quam inde capiet virgo, quam tibi delegisti sociam omnium

rerum, quæ in vita homini contingere possunt. Illa namq; ex imbecillitate tua, ne dicam grauius malum, quod inde necessario nasceretur, nisi curares valetudinem, plurimam acciperet molestiam. Debes autem contra, honesta omni ratione, qua potes gaudium ipsius ac voluptatem augere. Laudo vero iudicium tuum, qui post tot labores susceptos in perdiscendis ingenuis artibus, & tam multas longinquasq; terras peragratas, contuleris te in istum portum ac requietem. Ipse enim de matrimonio sic existimo, arbitrorque hoc esse verum ac certum solatium vitæ, nisi aliquis in hac re infelix admodũ fuerit. Nam qui sapit, ratione facile potest mederi incommodis nonnullis, quæ secum trahit hæc copula, comitanturq; plerunq; ingenio muliebri. Ego certe nullam umquã maiorem voluptatem sensi, quam ex officiis fidelibus vxoris, cum qua cum vixissem interuallo L. annorum, ereptam mihi morte ægre admodum tuli. Consilium nostri illius amici, quem non nominas in litteris tuis, significas tamen ita, vt me fallere non possit, quod sit ignoto, qui se conterat in tot regionibus contra commoda valetudinis suæ perlustrandis. Hoc enim facere possunt, qui non valens solum, sed vegetum etiam corpus

pus habent,quamuis omnis peregrinatio exposita sit multis & variis periculis, quod ego quoq, aliquando,cum meis magnis damnis, expertus sum. Sed de hoc homine scribet ad te quædam filius meus. Ego valeo & vrgeo opus illud, quod nosti, & iam pœne ad exitum ipsum perduxi; qui assiduus meus labor causa est, vt infrequentius scribam ad amicos. Omne enim tempus, quod consumo in aliis litteris, videor mihi eripere huic institutæ scriptioni. Vale. Florentia IX. Kalend. decembris Anno M. D. LXXI.

PETRVS VICTORIVS S.D. Joanni Caselio.

NE valeam, mi Caseli, si quenquã diligo plus, quàm te. Quod autem rarius scribo, quàm solebam, noli putare fieri, quia meus animus erga te vllam in partem immutatus sit. Neq; enim verum id est, nec effici vllo pacto potest. Postquam enim te semel amare cæpi, quod feci iustis de-

causis: impulsus inquam beneuolentia non parua tua in me, & commendatione eruditionis, & ingenii tui, dum viuam in eadem voluntate permanebo: etsi magnis interuallis locorum seiuncti sumus. Sed hoc etiam tantam vim non habet, vt penitus frangat amicitias: præsertim, quæ solidas, ac firmas radices habent. Veniet autem, vt spero, tempus, cum hac quoq; in re tibi satisfaciam, & crebras ad te litteras mittam. Semper enim secum aliquid afferent, quod ad honesta studia, reconditamq; doctrinam pertineat. Cur autem hoc tempore id non faciam, arbitror tibi notum esse. Vrgeo enim opus illud magnum, quod suscepi, fortasse non satis prudenter, totoq; animo in eo occupatus sum. Ætas autem grauis me admonet, vt properem. Quare omnis hora, quæ mihi eripitur, existimatur à me tardare illam curam. Quibus præterea premar quotidianis occupationibus non te fallit. Malo enim ita ipsas appellare, quàm labores. Hæc igitur cuncta veré, fideliterq; prolata, me tibi purgabunt, eiicientq; è pectore tuo suspicionem omnem, si qua forte eô irrepsit, ne minus id ego negligentia, aut imminutione aliqua amoris præstiterim. Te autem valere, & erudiendis maxime

me illuſtribus, atq; optimis pueris operam nauare, libenter audiui: quos ſpero ſtudio, & diligentia tua expolitos, tales euaſuros, vt plane reſpondeant honeſtæ tuæ, elegantiq; diſciplinæ, & origini claræ, ſanguiniq; prudentiſſimi patris. Vale. Florentia. Prid. Non. Mart. Anno M. D. LXXIV.

PETRVS VICTORIVS S. D. Ioanni Caſelio.

NActus occaſionem ſatis bonam mittendi orationem, quam ſuperioribus diebus habui in funere magni noſtri ducis, amittere eam nolui. Leges igitur ipſam, cum tibi commodum erit, atq; eodem animo leges, quo cetera mea ſcripta ſemper legiſti, id eſt beneuolo, & non valde exquiſito, neq; acri iudicio. Noſti enim ætatem meam, & multas, variasq; occupationes, quibus quotidie diſtineor, & publicis, & priuatis: breuitas etiam temporis impedimento mihi fuit, ne poſſem tam grande argumentum pro dignitate tractare. Sero enim huic triſti muneri obeundo delectus

 ſum.

ſũ ſed hæc leuia,& indigna amicitia noſtra. Illud ſcio gaudebis, me valere, & toto animo incumbere in noſtra ſtudia litterarum. Neq; enim adhuc ſenectus, etſi grauis, ita mihi moleſta eſt, vt cogar penitus Muſis nuncium remittere. Tu quoq; valebis, & me diliges. Hæc ſubito ſcripſi, quia, cui daturus epiſtolam eram, properabat. Florentia Idib. Quinctil. M. D. LXXIIII.

PETRVS VICTORIVS. S. D. Thomæ Hubnero

ET oratione & litteris honeſtorum virorum iam pridem cognoui te probum virum eſſe, & ſtudioſum amicorum. Quare te diligere cæpi, ac merito quidẽ. Hi namq; mortales præcipuè mihi digni videntur, quos omnes caros habeant, qui moribus his præditi ſunt: & quia paruus ſemper numerus horum fuit,& quia natura hæc ſua ſponte digna eſt, quæ ametur. Acceſſit his tuis animi dotibus eruditio elegans & recondita, quæ mihi in omni homine placet; inprimis autem delectat, cum honeſta vita


vita juncta. Hæc igitur primum fuerunt initia amoris mei magni erga te. Deinde non defuerunt officia quædam, quæ valde me ceperunt, vt quod proxime fecisti. Missa enim est ad me à Ioanne Cratone imago mea profecta à te, illa quidem eximiè facta, & à bono opifice expressa: qui tamen in meliore argumento summum ingenium suum exercere debuit: sed nolo hoc reprehendere, cum à uobis nimis magnis mei amatoribus, exortum sit: in quo etiam partes aliquas fuisse puto, Ioachimi Friderici, regis tui, optimi & doctissimi adolescentis, quem tu omni liberali arte perpolisti, reddidistiq;, ceu Phœnix ille Achillem, testimonio summi poëtæ fertur, oratorem verborum & actorem rerum. Quod facilius credo, quia vetera ipsius in me egregiæ voluntatis monimenta apud me sunt. Illa enim seruo, vt decet, diligenter, cum omni domui meæ futura sint indicia non paruá alicuius meæ virtutis, postquam in amicitiam & fidem receptus sum illustrissimæ familiæ, & quæ semper viros, aliqua laude commendatos, fouit & humaniter amplexa est. Sed hæc ego cogito clariore præconio aliquando peruulgare. Neq; enim exigua hæc pagina capit am-

amplissimæ & clarissimæ domus splendorem ac gloriam, atq; hoc fortasse non longe ab hoc tempore à me fiet. Tu vero me te amare, & in oculis ferre compertum habebis. Vale. Florentia. Prid. Id. Xb. M. D. LXXV.

Finis Epistolarum Petri Victorij.



Sequi-



SEQVITVR ELOGIVM

PETRI VICTORII

PETRVS VICTORIVS, *Florentiæ, oppido Hetruriæ primo & nobilißimo, nobili loco natus fuit: cuius maiores à multis sæculis primos etiam honores in patria republica gesserunt: patrimonium habuit, suisq; reliquit mediocre, inq; eo prædium suburbanum, & aliquot præterea in agro Sancaßianensi X. M. P. ab vrbe, via Romana. Pater ipsum* IACOBVS *à puero erudiri bonis litteris iusserat, vt adolescens vtramq; linguam, & omnium ingenuarum disciplinarum prima rudimenta, & domi & in patria academia feliciter didicerit: sed iis fundamentis iactis potißimum Pisas profectus, se ad studium Physicum contulit, vt hoc viatico instructus nobilißimæ arti medicæ se dederet. Sic enim patri, sic amicis placuerat, quibus statim reluctari nefas esse ducebat. Verum ille iuuenis studio sapientiæ & arte militari magis delectabatur. Itaq;, nec suis repugnantibus, iter longè gentium suscepit, militiæne, an peregrinationis gratia? nec ta-*

men ita multos annos abfuit, rebus domesticis ipsius præsentiam desiderantibus. Reuersus nihil habuit antiquius, quam vt aliquantulum intermissa studia optimarum artium recoleret, & animum ab omni parte expoliret. In quo cum totus esset, omnes ille bonos scriptores & Græcos & Latinos, poëtas, oratores, historicos, philosophos sic manibus tractare & animo considerare cœpit, & in eo perstitit, quoad vixit, vt non legisse vnumquemq; eorum, sed perdidicisse videretur. Cum vero maturè vxorem duxisset, quîcum ad annos quinquaginta vixit coniunctissimè; non ille ita rei familiari studuit, vt non potius bonis litteris studeret, & illam hisce posthabere à multis, quod & res erat, crederetur. In ijs cum sic esset, vt non tam scientia se augeret, quàm virtutibus, ad docendum arcessitus fuit, qui optimè optimis doctrinis animos iuuentutis imbueret, cum auditoribus exemplo esset, ac veluti dux ad virtutem optimus præiret Nec vero tanti ciuis institutione contenta patria fuit, sed eiusdem quoq; consilio se egere intelligens, quamquã occupatissimum otio litterario, allegit in senatum. Itaq; omnibus honoribus, etiam primis, ad quos ciui aditus pateret, summa cũ laude perfunctus fuit: & vtroq; tempore se ita gessit, præsertim hoc posteriore, vt non rerum nouarum, aut libertatis periculosæ siue noxiæ, sed salutis publicæ appareret sitientissimus: quæ non prorsus videretur in discrimẽ adducta, cum legum idem esset valor, qui antè, etiamsi rerum summa ad vnum peruenisset. Itaq; & ciuibus & COSMO FRANCISCOq; *Magnis Hetruriæ duci-*

ducibus, fuit carißimus. Atq; verè magna animo molitus, non arbitrabatur se muneri suo satisfacere, nisi & in longinquas terras suæ doctrinæ torrentes ex ingenij vberrimis fontibus deriuasset: sibi certe aliter non satisfaciebat. Hoc igitur ipsum præstitit, primùm vtriusq; linguæ optimorum scriptorum emendatione, vt plurimum è libris manuscriptis, quorũ copia ipsi erat & potestas facta ex bibliotheca Medicæa, raro ex ingenio, nisi vestigia pæne certa, vel rationes firmißimæ essent. Hac occasione conscripsit libros variarum lectionum plures, quorum lectio non solum ad linguas cognoscendas, sed etiam ad formandum iudicium, & ad animum moribus consiliisq; erudiendum, plurimum mihi videtur facere: præterquã quod hæ sunt animi non fastidiendæ diliciæ. Atq; ita, patrum & nostra ætate, VICTORII potißimum, etsi non prorsus nouo, exemplo, similes libros confecerunt alij, qui ferè hoc ipsum solum profiterentur, cum ille hanc operam τῶν παρέργοις habuisset. Si quem taxaret, id fecit citra cuiusquã contumeliam, nec acerbè. Vbi intellexit aliorum aculeatas in se reprehensiones; aut dißimulauit, aut rationibus respondit: vt virum grauem, eundemq; nobilem, & philosophum decebat. Alterum est, quod lucẽ addidit paßim illis, quos edidit, tum Aristoteli maximè: ad quem intelligendum facem prætulisse etiam visus fuit censoribus minus æquis. Iustis enim commentarijs illustrauit & Demetrij libellum aureum de elocutione, & Aristotelis primùm libros III. de arte dicendi, & vnum eiusdem de arte poëtarum, & longo interuallo pòst IIX. libros de republica: eiusdem deniq; X.

de


de vita & moribus. Sed neq; VICTORIVS passus fuit suam operam desiderari à iurisconsultis, neq; à theologis, neque à mathematicis. Namq; Lælio Torello eximio I. C. præstò fuit in editione Pandectarum: & ipse magnis laboribus edidit Clementem Alexandrinum: neq; nullos exhausit in editione Hipparchi. Ita meritus de litteris, siue de genere mortalium, omnium admirationem & prædicationem sibi facile comparauit: Colebaturq; iam non solum ab Italis, sed etiam à Transalpinis gentibus. Tanta erat hominis fama vbiq; terrarum, & auctoritas, vt multi, qui Florentiam videre ob elegantiam & magnificentiam viarum, & tum priuatorum, tum publicorum ædificiorum cuperent, magis ipsum cuperent videre Victorium, tamquam patriæ clarißimum sidus. Inprimis eum Germani suspiciebant, quem intelligerent videlicet docere litteras, non ad vtilitatem suam aut gloriam, sed ad amplißimos vsus humanæ vitæ: nec eorum pauci plures etiam menses, vel aliquot annos, vnius solius Victorij cognoscendi & audiendi gratia in loco constiterunt. Ipse contrà amabat familiares suos, à quibus sic obseruabatur, & quibus rebus poterat, ornabat: neq; tantum popularibus studebat: sed in vniuersum Germanos magni faciebat, vt fortes, veraces, constantes, & ipsius virtutis cultores in ceteris gentibus maximos. Ac talis omnino ipse erat, qui, quod de Amphiarao Græcus poëta scripsit, à spectatoribus de Aristide intellectum, & Latini homines de Catone vsurpabant, NON VIDERI, SED ESSE

SE

SE BONVS VELLET. *Corpore erat autem natura quidem ille firmo: sed tamen & ipse rationem habebat valetudinis, eamq; facilè tutatus fuit perpetua temperantia, & exercitijs mediocribus quotidianis: atq; id ad senectam vsq;. Namq; cum anno suo quarto & sexagesimo, ischiatica laboraret, primùm arcessiuit medicum, vt ipse mihi tum narrauit. Ac licet grauiter ab illo morbo tentaretur, atq; vt fit, incuruaretur, tamen docendi officium non intermittebat: cumq; se paucis diebus collegisset, ad ambulationes rediјt: in quibus cum vno alterôue familiarium, aut etiam pluribus, Socraticum in modum, de rebus ad mores & cultum ingenij pertinentibus sermonem habebat, non Etrusci, neq; Attici expertem salis. Sæpe etiam hospitibus operam dabat, ijs præsertim, qui procul aduenientes ab amicis litteras attulissent. Sic vitam ille perpetuò agebat, etiam in postremum vitæ suæ annum, siue diem. Nèq; enim multis antè mensibus, & meditabatur, & docebat, & legebat, & scribebat, eaq; parabat, quæ in publicam vtilitatem ederet: atq; ita in medio cursu, non violentia morborum, nec grauitate laborum, sed annis exhaustus cum maximo luctu suorum ciuium & omnium eruditorum bonorumq; virorum, quotquot sunt, decessit VI. id. superioris decembris, cum vixisset annos octuaginta sex, menses quinq;, dies sex. Reliquit filium vnum* IACOBVM, *&, vnum è filio nepotem* FRANCISCVM, *viros doctissimos, illum senatorem, hunc iurisconsultum.*

Corpus

Corpus autem tanti viri delatum fuit per pontem nouum, Cosmi appellatum, à duce Cosmo, in ædem Sancti spiritus, ibiq́ in monumenta maiorum conditum. Ibi tũ nobilißimus fortißimusq́ eques PETRVM VICTORIVM *laudauit oratione Etrusca, Latina Franciscus Bocchius, cum admiratione summaq́ approbatione ciuium.*



EPISTOLÆ IOANNIS CASELII.

Ad Principes, Nobiles, & Amicos ſcriptæ.

EBERHARDO EPISCOPO Lubecenſi S. D.

IOANNES CASELIVS.


SEmper ego te plurimi feci, Eberharde præſulquod princeps ſũmis honoribus perfungens, & humaniſsimè te geris, erga cuiusuis loci bonos viros, & paſsim multos beneficijs auges, in quibus nota virtutis aliqua, aut nonnihil litterarum elucescat. Hæc tamen minus in te miratus ſum: quem à natura ad omnia ſumma factum, ipſæ Muſæ ab ultima infantia omni liberali doctrina elegantiſsimè expolierunt, & perfecerunt ſapientia, tam illa recondita, quàm altera valdè

rerum, quæ in vita homini contingere possunt. Illa namq; ex imbecillitate tua, ne dicam grauius malum, quod inde necessario nasceretur, nisi curares valetudinem, plurimam acciperet molestiam. Debes autem contra, honesta omni ratione, qua potes gaudium ipsius ac voluptatem augere. Laudo vero iudicium tuum, qui post tot labores susceptos in perdiscendis ingenuis artibus, & tam multas longinquasq; terras peragratas, contuleris te in istum portum ac requietem. Ipse enim de matrimonio sic existimo, arbitrorque hoc esse verum ac certum solatium vitæ, nisi aliquis in hac re infelix admodũ fuerit. Nam qui sapit, ratione facile potest mederi incommodis nonnullis, quæ secum trahit hæc copula, comitanturq; plerunq; ingenio muliebri. Ego certe nullam umquã maiorem voluptatem sensi, quam ex officiis fidelibus vxoris, cum qua cum vixissem interuallo L. annorum, ereptam mihi morte ægre admodum tuli. Consilium nostri illius amici, quem non nominas in litteris tuis, significas tamen ita, vt me fallere non possit, quod sit ignoto, qui se conterat in tot regionibus contra commoda valetudinis suæ perlustrandis. Hoc enim facere possunt, qui non valens solum, sed vegetum etiam cor-

pus

pus habent, quamuis omnis peregrinatio exposita sit multis & variis periculis, quod ego quoq; aliquando, cum meis magnis damnis, expertus sum. Sed de hoc homine scribet ad te quædam filius meus. Ego valeo & vrgeo opus illud, quod nosti, & iam pœne ad exitum ipsum perduxi; qui assiduus meus labor causa est, vt infrequentius scribam ad amicos. Omne enim tempus, quod consumo in aliis litteris, videor mihi eripere huic institutæ scriptioni. Vale. Florentia IX. Kalend. decembris Anno M. D. LXXI.

PETRVS VICTORIVS S. D. *Joanni Caselio.*



E valeam, mi Caseli, si quenquã diligo plus, quàm te. Quod autem rarius scribo, quàm solebam, noli putare fieri, quia meus animus erga te vllam in partem immutatus sit. Neq; enim verum id est, nec effici vllo pacto potest. Postquam enim te semel amare cæpi, quod feci iustis de-

causis: impulsus inquam beneuolentia non parua tua in me, & commendatione eruditionis, & ingenii tui, dum viuam in eadem voluntate permanebo: etsi magnis interuallis locorum seiuncti sumus. Sed hoc etiam tantam vim non habet, vt penitus frangat amicitias: præsertim, quæ solidas, ac firmas radices habent. Veniet autem, vt spero, tempus, cum hac quoq; in re tibi satisfaciam, & crebras ad te litteras mittam. Semper enim secum aliquid afferent, quod ad honesta studia, reconditamq; doctrinam pertineat. Cur autem hoc tempore id non faciam, arbitror tibi notum esse. Vrgeo enim opus illud magnum, quod suscepi, fortasse non satis prudenter, totoq; animo in eo occupatus sum. Ætas autem grauis me admonet, vt properem. Quare omnis hora, quæ mihi eripitur, existimatur à me tardare illam curam. Quibus præterea premar quotidianis occupationibus non te fallit. Malo enim ita ipsas appellare, quàm labores. Hæc igitur cuncta verè, fideliterq; prolata, me tibi purgabunt, eiicientq; è pectore tuo suspicionem omnem, si qua forte eô irrepsit, ne minus id ego negligentia, aut imminutione aliqua amoris præstiterim. Te autem valere, & erudiendis maxime

me illustribus, atq; optimis pueris operam nauare, libenter audiui: quos spero studio, & diligentia tua expolitos, tales euasuros, vt plane respondeant honestæ tuæ, elegantiq; disciplinæ, & origini claræ, sanguiniq; prudentissimi patris. Vale. Florentia. Prid. Non. Mart. Anno M. D. LXXIV.

PETRVS VICTORIVS S. D. Ioanni Caselio.

NActus occasionem satis bonam mittendi orationem, quam superioribus diebus habui in funere magni nostri ducis, amittere eam nolui. Leges igitur ipsam, cum tibi commodum erit, atq; eodem animo leges, quo cetera mea scripta semper legisti, id est beneuolo, & non valde exquisito, neq; acri iudicio. Nosti enim ætatem meam, & multas, variasq; occupationes, quibus quotidie distineor, & publicis, & priuatis: breuitas etiam temporis impedimento mihi fuit, ne possem tam grande argumentum pro dignitate tractare. Sero enim huic tristi muneri obeundo delectus

ſũ ſed hæc leuia, & indigna amicitia noſtra. Illud ſcio gaudebis, me valere, & toto animo incumbere in noſtra ſtudia litterarum. Neq; enim adhuc ſenectus, etſi grauis, ita mihi moleſta eſt, vt cogar penitus Muſis nuncium remittere. Tu quoq; valebis, & me diliges. Hæc ſubito ſcripſi, quia, cui daturus epiſtolam eram, properabat. Florentiæ Idib. Quinctil. M. D. LXXIIII.

PETRVS VICTORIVS. S. D. Thomæ Hubnero

ET oratione & litteris honeſtorum virorum iam pridem cognoui te probum virum eſſe, & ſtudioſum amicorum. Quare te diligere cæpi, ac merito quidẽ. Hi namq; mortales præcipuè mihi digni videntur, quos omnes caros habeant, qui moribus his præditi ſunt: & quia paruus ſemper numerus horum fuit, & quia natura hæc ſua ſponte digna eſt, quæ ametur. Acceſſit his tuis animi dotibus eruditio elegans & recondita, quæ mihi in omni homine placet; inprimis autem delectat, cum honeſta

vita


vita juncta. Hæc igitur primum fuerunt initia amoris mei magni erga te. Deinde non defuerunt officia quædam, quæ valde me ceperunt, vt quod proxime fecisti. Missa enim est ad me à Ioanne Cratone imago mea profecta à te, illa quidem eximiè facta, & à bono opifice expressa: qui tamen in meliore argumento summum ingenium suum exercere debuit: sed nolo hoc reprehendere, cum à uobis nimis magnis mei amatoribus, exortum sit: in quo etiam partes aliquas fuisse puto, Ioachimi Friderici, regis tui, optimi & doctissimi adolescentis, quem tu omni liberali arte perpolisti, reddidistiq; , ceu Phœnix ille Achillem, testimonio summi poëtæ fertur, oratorem verborum & actorem rerum. Quod facilius credo, quia vetera ipsius in me egregiæ voluntatis monimenta apud me sunt. Illa enim seruo, vt decet, diligenter, cum omni domui meæ futura sint indicia non paruá alicuius meæ virtutis, postquam in amicitiam & fidem receptus sum illustrissimæ familiæ, & quæ semper viros, aliqua laude commendatos, fouit & humaniter amplexa est. Sed hæc ego cogito clariore præconio aliquando peruulgare. Neq; enim exigua hæc pagina capit am-

amplissimæ & clarissimæ domus splendorem ac gloriam, atq; hoc fortasse non longe ab hoc tempore à me fiet. Tu vero me te amare, & in oculis ferre compertum habebis. Vale. Florentia. Prid. Id. Xb. M. D. LXXV.

Finis Epistolarum Petri Victorij.



Sequi-



SEQVITVR ELOGIVM

PETRI VICTORII

PETRVS VICTORIVS, Florentiæ, oppido Hetruriæ primo & nobilißimo, nobili loco natus fuit: cuius maiores à multis sæculis primos etiam honores in patria republica gesserunt: patrimonium habuit, suisq; reliquit mediocre, inq; eo prædium suburbanum, & aliquot præterea in agro Sancaßianensi X. M. P. ab vrbe, via Romana. Pater ipsum IACOBVS à puero erudiri bonis litteris iusserat, vt adolescens vtramq; linguam, & omnium ingenuarum disciplinarum prima rudimenta, & domi & in patria academia feliciter didicerit: sed iis fundamentis iactis potißimum Pisas profectus, se ad studium Physicum contulit, vt hoc viatico instructus nobilißimæ arti medicæ se dederet. Sic enim patri, sic amicis placuerat, quibus statim reluctari nefas esse ducebat. Verum ille iuuenis studio sapientiæ & arte militari magis delectabatur. Itaq;, nec suis repugnantibus, iter longè gentium suscepit, militiæne, an peregrinationis gratia? nec tamen

men ita multos annos abfuit, rebus domesticis ipsius præsentiam desiderantibus. Reuersus nihil habuit antiquius, quam vt aliquantulum intermissa studia optimarum artium recoleret, & animum ab omni parte expoliret. In quo cum totus esset, omnes ille bonos scriptores & Græcos & Latinos, poëtas, oratores, historicos, philosophos sic manibus tractare & animo considerare cœpit, & in eo perstitit, quoad vixit, vt non legisse vnumquemq; eorum, sed perdidicisse videretur. Cum vero maturè vxorem duxisset, quîcum ad annos quinquaginta vixit coniunctissimè; non ille ita rei familiari studuit, vt non potius bonis litteris studeret, & illam hisce posthabere à multis, quod & res erat, crederetur. In ijs cum sic esset, vt non tam scientia se augeret, quàm virtutibus, ad docendum arcessitus fuit, qui optimè optimis doctrinis animos iuuentutis imbueret, cum auditoribus exemplo esset, ac veluti dux ad virtutem optimus præiret Nec vero tanti ciuis institutione contenta patria fuit, sed eiusdem quoq; consilio se egere intelligens, quamquã occupatissimum otio litterario, allegit in senatum. Itaq; omnibus honoribus, etiam primis, ad quos ciui aditus pateret, summa cũ laude perfunctus fuit: & vtroq; tempore se ita gessit, præsertim hoc posteriore, vt non rerum nouarum, aut libertatis periculosæ siue noxiæ, sed salutis publicæ appareret sitientissimus: quæ non prorsus videretur in discrimẽ adducta, cum legum idem esset valor, qui antè, etiamsi rerum summa ad vnum peruenisset. Itaq; & ciuibus & COSMO FRANCISCOq; Magnis Hetruriæ duci-

ducibus, fuit carißimus. Atq; verè magna animo molitus, non arbitrabatur se muneri suo satisfacere, nisi & in longinquas terras suæ doctrinæ torrentes ex ingenij v-berrimis fontibus deriuasset: sibi certe aliter non satisfaciebat. Hoc igitur *ipsum præstitit, primùm vtriusq; linguæ optimorum scriptorum emendatione, vt plurimum è libris manuscriptis, quorũ copia ipsi erat & potestas facta ex bibliotheca Medicæa, raro ex ingenio, nisi vestigia pæne certa, vel rationes firmißimæ essent. Hac occasione conscripsit libros variarum lectionum plures, quorum lectio non solum ad linguas cognoscendas, sed etiam ad formandum iudicium, & ad animum moribus consiliisq; erudiendum, plurimum mihi videtur facere: præterquã quod hæ sunt animi non fastidiendæ diliciæ. Atq; ita, patrum & nostra ætate,* VICTORII *potißimum, etsi non prorsus nouo, exemplo, similes libros confecerunt alij, qui ferè hoc ipsum solum profiterentur, cum ille hanc operam* ἐν παρέργοις *habuisset. Si quem taxaret, id fecit citra cuiusquã contumeliam, nec acerbè. Vbi intellexit aliorum aculeatas in se reprehensiones; aut dißimulauit, aut rationibus respondit: vt virum grauem, eundemq; nobilem, & philosophum decebat. Alterum est, quod lucẽ addidit paßim illis, quos edidit, tum Aristoteli maximè: ad quem intelligendum facem prætulisse etiam visus fuit censoribus minus æquis. Iustis enim commentarijs illustrauit & Demetrij libellum aureum de elocutione, & Aristotelis primùm libros* III. *de arte dicendi, & vnum eiusdem de arte poëtarum, & longo interuallo pòst* IIX. *libros de republica: eiusdem deniq;* X.

de

de vita & moribus. Sed neq; VICTORIVS passus fuit suam operam desiderari à iurisconsultis, neq; à theologis, neque à mathematicis. Namq; Lælio Torello eximio I. C. præstò fuit in editione Pandectarum: & ipse magnis laboribus edidit Clementem Alexandrinum: neq; nullos exhausit in editione Hipparchi. Ita meritus de litteris, siue de genere mortalium, omnium admirationem & prædicationem sibi facile comparauit: Colebaturq; iam non solum ab Italis, sed etiam à Transalpinis gentibus. Tanta erat hominis fama vbiq; terrarum, & auctoritas, vt multi, qui Florentiam videre ob elegantiam & magnificentiam viarum, & tum priuatorum, tum publicorum ædificiorum cuperent, magis ipsum cuperent videre Victorium, tamquam patriæ clarißimum sidus. Inprimis eum Germani suspiciebant, quem intelligerent videlicet docere litteras, non ad vtilitatem suam aut gloriam, sed ad amplißimos vsus humanæ vitæ: nec eorum pauci plures etiam menses, vel aliquot annos, vnius solius Victorij cognoscendi & audiendi gratia in loco constiterunt. Ipse contrà amabat familiares suos, à quibus sic obseruabatur, & quibus rebus poterat, ornabat: neq; tantum popularibus studebat: sed in vniuersum Germanos magni faciebat, vt fortes, veraces, constantes, & ipsius virtutis cultores in ceteris gentibus maximos. Ac talis omnino ipse erat, qui, quod de Amphiarao Græcus poëta scripsit, à spectatoribus de Aristide intellectum, & Latini homines de Catone vsurpabant, NON VIDERI, SED ESSE

SE

SE BONVS VELLET. *Corpore erat autem natura quidem ille firmo: sed tamen & ipse rationem habebat valetudinis, eamq; facilè tutatus fuit perpetua temperantia, & exercitijs mediocribus quotidianis: atq; id ad senectam vsq;. Namq; cum anno suo quarto & sexagesimo, ischiatica laboraret, primùm arcessiuit medicum, vt ipse mihi tum narrauit. Ac licet grauiter ab illo morbo tentaretur, atq; vt fit, incuruaretur, tamen docendi officium non intermittebat: cumq; se paucis diebus collegisset, ad ambulationes rediJt: in quibus cum vno alteròue familiarium, aut etiam pluribus, Socraticum in modum, de rebus ad mores & cultum ingenij pertinentibus sermonem habebat, non Etrusci, neq; Attici expertem salis. Sæpe etiam hospitibus operam dabat, ijs præsertim, qui procul aduenientes ab amicis litteras attulissent. Sic vitam ille perpetuò agebat, etiam in postremum vitæ suæ annum, siue diem. Nèq; enim multis antè mensibus, & meditabatur, & docebat, & legebat, & scribebat, eaq; parabat, quæ in publicam vtilitatem ederet: atq; ita in medio cursu, non violentia morborum, nec grauitate laborum, sed annis exhaustus cum maximo luctu suorum ciuium & omnium eruditorum bonorumq; virorum, quotquot sunt, decessit: VI. id. superioris decembris, cum vixisset annos octuaginta sex, menses quinq;, dies sex. Reliquit filium vnum* IACOBVM, & *vnum è filio nepotem* FRANCISCVM, *viros doctißimos, illum senatorem, hunc iurisconsultum.*

Corpus

EPISTOLÆ IOANNIS CASELII.

Ad Principes, Nobiles, & Amicos ſcriptæ.

EBERHARDO EPISCOPO Lubecenſi S. D.

IOANNES CASELIVS.

SEmper ego te plurimi feci, Eberharde præſul quod princeps ſũmis honoribus perfungens, & humaniſsimè te geris, erga cuiusuis loci bonos viros, & paſsim multos beneficijs auges, in quibus nota virtutis aliqua, aut nonnihil litterarum elucescat. Hæc tamen minus in te miratus ſum: quem à natura ad omnia ſumma factum, ipſæ Muſæ ab ultima infantia omni liberali doctrina elegantiſsimè expolierunt, & perfecerunt ſapientia, tam illa recondita, quàm altera valdè

accommodata & necessaria ad vitam hanc mortalem priuatim & publicè rectè colendam, maximisq; virtutibus. Hæc enim profecto vis est bonarum litterarum, ut sui cultores efficiant humanissimos: & quidem appellatione humanitatis significari & simul comprehendi arbitror, animi integritaté, cogitationes præclaras, morũ suauitatem, facta illustria, officia, & studia, quę natura debemus societati mortaliũ, & in hac ciuili consuetudine nos proximè attingentibus, qui sunt non solũ consanguinei, sed ijsdẽ addicti sapientiæ & virtutum studijs. Tantum autem principem, id est, ut comprehendam omnia, humanissimum, cum aliis intelligentissimis & optimis viris semper plurimi feci, & apud familiares męos, ubi sine adulatione hoc rectissimè fieret, & ipse prædicaui & ab illis audiui mirifice prędicari. Nunc verò postquã munus ad me misisti, ex eo generę munerũ, quæ solent esse singularis & propensissimæ voluntatis signa certissima; mearum esse partium putaui, ut per epistolã tibi gratias agerem. Volo enim, ut velle debeo, te intelligere, & sic de me statuere, munus tuũ mihi esse gratissimũ, meq; id habiturũ in preciosissimis quæ græci homines κειμήλια vocabãt; sed beneuolentiã, quam non solum illo ipso, mihi ostendere non dubitasti, sed etiam aliqua litterarum


terarum tuarum parte benignissime nunciari jussisti, multo gratiorem, & in cæteris, quæ hoc tempore mihi evenire poterunt, longè optatissimam. Gaudeo verò causas tibi fuisse mei amandi, quas ais, mea in Ioanne Fridericũ, ducis Othonis filium, quẽ ut ex re ipsa video, habes in carissimis, siue merita, siue studia & bonorũ de me prędicationes. Has quoad viuam tibi probabo, & perpetua in te obseruantia confirmabo. Quæ verò præstiterim illustri illi adolescenti, non ita multis mensibus, exigua sunt, fateor: ego vero, si eodem loco essem, non desisterem omni honesta ratione, & in primis liberali communicatione omnis ingenuæ doctrinæ eum arctissimè mihi deuincire: sed cõperisse te iam puto, duci nostro aliter visum fuisse: cuius judicio adversari meum non est, & profecto ipsi jam multo plus debeo, qui ab hac molestia incredibili benignè mihi reditũ ad otiũ pristinũ concedat, ubi si minus est opum siue splendoris, cum tamẽ illarũ spes plęrumq; huius species semper homines fallat; plurimum est certe quietis & tranquillitatis animi. Profecto autẽ quę in nobismetipsis sunt bona, meliora & firmiora ijs sũt, quæ extrinsecus adsciscũtur, & propterea magis expetẽda: quod si aliis aliter, mihi tamẽ sis, & rectè opinor assẽtiẽtib. intelligẽtissimis videtur

Iam si à me quid in hoc vitæ genere, quod secutus à puero fueram, iterum constituto, proficisci posſit, quod ad te ornandum, etsi in te ipso ornamenta sunt, faciat, aut mea tibi quacunq; opera, in hac fortunæ meæ tenuitate, tibi quam inseruire; & sponte mea faciam omnia, & nouo beneficio me à te cumulatum putabo, cum aliquid mihi mandabis: quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. cupio enim me tibi probare quã gratisſimũ, & susceptam in me beneuolentiam summa religione conseruare. Vtrumq; me certè consecuturum puto, etiamsi neq; tu mihi quicquam imperes, aut ego tuæ amplisſimæ dignitati singulariter nihil præstem. Nam qua re te maximé delectari intelligo, colam studia litterarum, & semper aliquid memoria dignum conficiam, & iuuentutem litteris ad rectè sapiendum & viuendum, seduló informabo, & perpoliam quantum in me erit, si modo sint, qui me sequi velint: idque faciam, non spectans præmia, quæ cum maximè debeantur, persolvuntur minimè, quod & hoc negligatur publicè, & qui liberos suos ad nos mittunt, vix ipsos alant, nedum nobis aliquid persolvant gratiæ, sed faciam quod dixi, ipsa publicæ utilitatis cupiditate & recti conscien-

tia inci-

tatus,confirmatus vero etiam tua tuiq; simili approbatione. Vale præsul amplissime, & quem sponte tua adsciuisti in numerum tuorum ante nec opinantem, me hoc jam nunc planè sperantem in tuis benigne conserua. Suerino Prid. Kalend. Octob. Anno M. D. LXXIV.


EBERHARDO EPISCOpo Lubecensi. S. D. Joannes Caselius.



Vm tute prior Eberharde præsul, satis luculénto signo mihi tuam in me beneuolentiam ostenderis;non dubitaui tibi litteris gratias agere, meamq; in te obseruantiam testatam facere. Quam audaciam meam,nisi fortè huic facto honestius nomen deberi existimandum est, tibi non improbari arbitror:immo sic mihi de tua humanitate persuadeo, si opus sit, facilè te mihi veniam daturum. Eam vt mihi des iterum te interpellanti rogandus modo es. Scripsi autem nunc eo, vt ad te mitterem orationem, in funere ducis Iohannis Alberti à me habitam,quam & à te requiri putaui. Scio enim

quanta fuerit inter vos necessitudo, & animorum perpetua coniunctio: id quod minus miror, cum multis rebus fueritis simillimi. De te non dicam ad te, cuius litteras, humanitatem & beneficentiam celebrabunt alii, vel etiam, suo loco, ne si id hic aggrediar, in suspicionem adulationis me coniiciam: ducis Ioannis Alberti studium erga litteras & litteris præditos, bonitas, & munifica benignitas nullius oratione satis prædicabitur: ego certe ipsius animi dotes & virtutes regias tenui stylo meo exsculpere non potui. Quare neq; à te, neq; ab aliis exspecto, vt eloquentia mea laudetur, quam nullam esse non infitior, sed vt conatus mei probentur laudandi principis, ac de plurimis ac de me quoq; bene meriti, & omni laude dignissimi. Veniet quoq; vel me tacente tibi in mentem, cum ea leges, quod egregiè feceris, inter mortales numquam intermoriturum, Sic & rectissime viues, quod facis, & frueris non solum præsentibus bonis tam fortunæ quàm animi, quoniam non minus hisce, quam illis abundas, sed etiam approbatione bonorum, & gloria apud posteros veluti præsenti. Sed hæc ad te scribere superuacaneum est & pœne impudentis, cuius domi etiam nascantur meliora. Vale

le Roſtochio. Kalend. April. Anno M. D. LXXVI.



IOANNI FRIDERICO Duci Brunſuigen. & Lunæburgen. S. D. Ioannes Caſelius.

CVm te adhuc domi eſſe intelligerem, nihil feci promptius, quàm vt aliquid ad te darem, vel occupatiſſimus, cum meas à te flagitari videam: partim quia me amas, vt ego te profectò plurimum: ſemper enim iudicaui, te ingenio & animo bono eſſe: partim ut cupidum & amicitiæ colendæ & exercendæ ſcriptionis in hanc arenam prouocarem: in qua me arbitror non mediocriter exercitatum: inprimis, quod ad prius attinet. Nam & præſtantes homines obſer-

obſeruo indè uſq; à puero plurimum, & à bonis me amari cum cupio, tum etiam gaudeo. De altero in quo ipſe minus mihi tribuo quòd non id poſſim, quod velim exiſtiment alii: quanquam ita rem eſſe arbitror, ut quam longe abſim à rei perfectione tam longè à vulgo abſim, non Latine prauè balbutientium, in quibus & ipſe fortè ſim, ſed magno ſtudio quam corruptiſſimè loqui affectantium. Tu verò perge me in tuis numerare, quod te etſi facere minime dubito, tamen tanto magis credam, quanto ardentius coles ſtudia ſapientiæ: à quibus etiam adoleſcentem nunquam abhorruiſſe credidi: nunc vbi magis adoleſti, aliquo profectu & judicio, iis inflammatum eſſe oportet. Expecto viciſſim à te aliquid litterarum. Vale Roſtochio III. Id. Iunii Anno M.D. LXLVI.

JOANNI FRIDERICO Duci Brunſuic. & Lunæburg. S. D. Joannes Caſelius,

Gratiſſimæ ſunt mihi tuæ litteræ, non quod à principe, ſed multo magis, quod ab eo, qui litteras colat & me amet exaratæ ſunt. Hoc ſciebam, illud ſperabam, jam vero

etiam video ex epiſtola tua, benè equidem ſcripta. Cum enim eius ſit pura oratio, tum ingenii ſucco minime caret. Perge igitur, & quoniam videris quoq; à me conſilium petere, quotidiè aliquid ſcribe & lege; inprimis tamen hoc vide, ut quod legis, probe intelligas quod aſſequeris, ſi præter accuratam lectionem, conſules, quem nactus es iuuenem, & doctiſſimum, & humanæ vitæ benè peritum. Crede mihi ſtudium bonæ & elegantis doctrinæ, uſus ætas, tempus te confirmabunt, vt eo tandem venias, quo & debes, & vult pater. Vale Roſtochio, VII. Kal. Sextil. Anno LXXVI.

IOANNI FRIDERICO Duci B. & L. S. D. Ioannes Caſelius.

SEmper ego, præclarè ſenſi de ingenio tuo, de voluntate etiã bene ſperaui. Nunc gaudeo, confirmari quotidie magis magiſq; meam de te expectationẽ: quã ne fallas, vel potius illuſtriſſimũ Patrem tuũ, atq; te ipſum ne fallas, omni cura tibi videndum erit. Illius ſollicitudinem tanquam

videre mihi videor: tu cogita non solum tam sollicito optimeq; tibi cupienti patri obtemperandum esse, sed etiam tua sponte omnibus viribus agendum, ut locum illustrem, quo natus es, virtutis & sapientiæ studio quàm diligentissimè tuearis, neque vnquam ex animo dimittas tuo, vbicunque gentium eris, cur istos sumptus facias, ibique vitam degas. Sic futurum est, ut quotidie te ipso evadas præstàntior, & maiorum tuorum claritatem tuis etiam factis illustres: Sed satis aut nimium est admonitionum: quod initiò scriptum oportuit, gratissimæ tuæ mihi acciderunt litteræ. Erunt autem posthac mihi tantò gratiores, quantò crebriores: intelligam enim singulari cum voluptate, & me à te amari & te plurimum proficere. Vale Rostochio XI. Kal. Sept. Anno M. D. LXXVI.

EBERHARDO EPISCOpo Lubecensi S. D. Ioannes Caselius.

SEra gratiarum actio, quàm fortè tardam dixerimus, nisi ipsa gratia aut sera aut nul-

nulla ſit, reprehendi fortaſsis haud magnopere poſsit, multò verò minus reprehendetur à ſummæ liberalitatis & excelſi animi viro. Nam munifici hoc non præcipuè intuentur, ut quos beneficiis afficiant, horum illi memores ſint, etſi hoc ſibi pollicentur, quod ſcientes improbis nolint benefacere, cum ingratos mortalium improbiſsimos eſſe non iniuria exiſtimémus: magnanimi verò commemorationem verborum pęnè nullam requirunt, cum ne quidem prædicationem ſuarum laudum, niſi ampliſsimarum, et ab optimis, exſpectent. Itaque cum miſſo mihi à te munere, quo multum rei meæ familiari conſuleretur, non ſubitò tibi gratias agerem, non fui ſollicitus, ne mihi ſuccenſeres, aut ſiniſtre de me ſuſpicarere. Nihil enim anguſtum ampliſsima omnia in te perſpeximus, planeq; digna iſto faſtigio dignitatis, in quod te non fortuna, ſed virtus tua, neque id ſine adminiculo bonarum litterarum, quibus præditus es, collocavit. Etſi igitur non opus eſt, ut hac de cauſſa me tibi purgé: tamen cunctationis meæ cauſam reddam, quo ſcias, hoc debitum munus conſilio me diſtuliſſe, non negligentia, aut peiore vitio prætermiſiſſe. Expectabam

enim

enim hoc tempus; quo aliquid è lucubrationibus meis una mitterem, quod genus tibi homini doctissimo haud ingratum esse, ex re ipsa animadvertissem. Mitto autem nunc cum hac Epistola exemplum meæ Xenophontis librorum de dictis memorabilibus Socratis interpretationis, quod vel huius auctoris optimarum doctrinarum, vel illius, scriptoris mellitissimi nomine tibi gratum esse posset: meo enim, ut sit, nullo plane jure postulem: etsi quantum potui operam nauarim, vt harum rerum intelligentibus, in quibus tu principe loco es, placerem, cum & his qui acutissime ut possint iudicare & debeant, & mihi, qui tenuitatem meàm non penitus ignorem, & ipsi rei, quæ per sese difficilior est, quam cui videatur, qui illius nullum periculum fecerit, nunquam satisfacturum videam. Tamen hoc mihi polliceor de censuris bonorum, (malorum enim existimationes nihil moror) facile eam mihi daturos veniam, quam sibi dari vellent: neq; non idem à te exspecto. Si quid nasceretur domi meæ, quod illustri tua persona dignum judicem, id publice aliquando ad te mittam. Cupio enim gratissimus tibi videri, neq; minus esse studeo. Idem faciam & pro bonis litteris, quæ tibi plurimum debent, cum eas adiuues

adiuues, quibus potes modis, hoc est multis & singularibus, & doctos homines & adolescentes ingenuæ doctrinæ deditos. Faciam etiam, quod non mones, quod velle te scio, ut rationem habeam pueri heroicæ indolis Guilielmi. Scio enim te & cum ipsius patre Othone, optimo principe, haud vulgarem amicitiam colere, & eius filiis quos ille sapientissimus pater rectissime educari curat, inprimisq; huic adolescentulo benè velle. Faciã igitur ultrò, ne quid, quod à me requiri possit, desideretur, & hoc amplius, si queam: quod meum in ipsum studium cum tibi quoq; probatum iri scirem, eius meminisse his litteris non alienum putavi. Videres enim cum tibi nihil gratiæ queam referre in hac tenuitate fortunæ lociq; meæ, me benè mereri studere de aliis, quos amares, tuo etiam nomine, aut quia ante in eo totus essem, cumulum ad priorem curam addere. Hæc scripsi ut magis crederes, quod ante non dubitas, me principis virtutum non minus quam inferiorum, si hæ non pari gradu incedunt, esse studiosissimũ. Nam inprimis præstantiæ tuæ cultoribus me esse, id ex meis litteris aliquantulum, & ex aliis plenius potuisti cognoscere. Vale Rostochio V. Id. No. Anno M. D. LXXVI.

EBER-

EBERHARDO EPIscopo Lubecensi. S. D. Joannes Caselius.

NEq; animo sic paratus, neq; arte instructus sum, vt ad principes viros sæpe scribam. Puto namq; hanc in me voluntatem culpa affinem non leui fore, & idcirco me iure reprehensum iri, si hac ratione me cum illis comparem, quibus nulla re earum, quæ vulgo plurimi fiunt, haud parem me esse facile intelligam. Quod vero scribendi facultate parum valeam, scio mihiq; tutius credo, quàm iis, qui eam vel imbecillitate iudicii vel amore mihi libenter tribuunt. Itaq; etiam numquam do inanes litteras, cum valde insolentis, non tantum stulti, esse videatur, primos ordinis viros de re nihili interpellare. Vt commendem alios ab hoc quoq; quam possum longissime refugio non solum, quia meam existimationem in discrimen coniicio, sed etiam, quia vobis ipse carus esse, & ab aliis, qui apud vos auctoritate valent, commendari cupio: neq; tamen id fugere perpetuo possum, forte etiam aliquando audere debeo, ne officio meo

iis defuisse videar, quos amore & studio bonorum dignos esse censeam. Ad te vero minus vereor talem epistolam scribere, præsulem non solum ista dignitate, sed multis litteris & summa humanitate præditum, præsertim de hoc nomine Daniele Crispino. Intelligo enim, neq; in sinistram suspicionem me hoc nomine incursurum, neq; difficilem fore scriptu commendationem. Cum enim cliens tuus sit, tibiq; etiam quàm mihi notior, quid attinet me tibi eum laudare? te laudare & possum & debeo, qui munificus es erga litteras, & harum cultores quantum potes ornas, vti te maximè dignum est. Itaque quod ad iuuenem illum attinet, superuacanea ferè est hæc epistola, quam illi tamen denegare non potui, teq; rogo, vt pristinam erga ipsum beneuolentiam retineas, ad quam si litteris hisce meis aliquis cumulus accedet, & gaudebo & tibi gratias agam. Inprimis vero rogo, vt quod nunc in manibus habet negotium, probes, & liberalitate tua adiuues. Ipsum experieris gratum, & ego me plus tibi debere vltro profitebor. Vale præsul amplissime. Rostochio V. Kal. Martii Anno M. D. LXXVII.

CVL I-

GULIELMO DUCI Brunsuic. & Lunæburg. S. D. Joannes Caselius.



Odem tempore discessimus, tu domum, ego ad socerum; ad eum vt veni, multa tui mentio, vt solemus, si quem amamus aut cujusquam indolem exosculamur: die septimo huc redii: scripsissem ad te de via, aut pòst domo, sed commoditas mittendi nulla fuit: nunc etiam tardius, cum sit cui dê, scribo: appropinquat namq; reditus tuus, ni fallor, tuq; hæc fortasse in itinere leges, neq; tamen quid ex hisce audies novi: in quibus esse consueuimus, sic sumus, vti solemus. Hoc est, toti in litteris, quantum nobis per curam rei familiaris & alias occupationes licet. Sed his non vincimur: illam, quando nos urget, non negligimus: te vero valdè expectamus. Cum enim sis nobilissimæ nostræ Academiæ ornamento; nonnè te decus esse ædibus meis singulare existimem? pluris nobis es, quam quibus careo, sic vt non desiderem, aut ebur, aut aureum lacunar, aut trabes Hymettiæ, aut Lybicæ columnæ. Liceat enim mihi tecũ loqui etiã in epistola,

la, ex vate lyrico, quo valde te delectari animaduerti: neq; immerito, cum sit & elegantissimus, & doctissimus, qui semper admirabile aliquid & diuinum depromat, ex abditis musarum penetralibus, quo demulceat politissimi cuiusq; ingenii pectus. Sic de te, adolescens nobilissime, statuo, cum omnino iudicem domus splendorem potissimum & verum esse in viuis ornamentis. Etsi vero ad vnum omnes indolem in te regiam suauissimosq; mores, qui annos puериles grauitate superant, suspiciunt: tamen ipse, apud quem viuis, sine dubitatione pluris te facio. Non solum testor recte de te opinari plurimos: sed penitus te noui, & interius perspexi animum tuum verè aureolum, vel potius heroicum. Quæ foris sunt, sæpè specie nos fallunt: sed tu domi idem es, qui foris: idem apud familiarissimos, qui apud hospites. An dicam te non eundem esse, cum dubitem, maiorenè sis modestia apud nos, quàm apud quosuis alios? certe ceteri vnum non vident, quantum impendas temporis bonis litteris, quarum gratia ad nos venisti: quantum in iis spacium, hoc est pueritiæ tuæ magnum, confeceris: quanto earum amore flagres: nisi quantum è fama accipiunt. Dicerem te inflammari voluntate pa-

tris, principis & opt. & doctissimi; etiam exemplo præcedentium fratrum: nisi viderem, sponte facere omnia & anteuertere nostra studia diligentia tua perpetua: etsi tibi non desumus, & te rectius ducimus, quam dicitur Ariade duxisse filo Theseum. Non est enim segnis in hoc, cui id creditum est, Ioannes Ducarus, iuuenis, ipse bonis artibus præclarè expolitus: neq; tibi hactenus desum: reuersóq; semper præsto erimus, vt hactenus fecimus. Sumus enim & laudis & felicitatis tuæ, quarum fundamenta, nobis auctoribus, hic iacis, mirificè studiosi, & optamus, vt quam de te tam bene maturè exspectationem commouisti, & posthac confirmes & deniq; impleas. Tu modo perseuera in eo, quod instituisti, & caue, ne pueritia adolescentiam, adolescentia sequentem ætatem superasse videatur: quin contra summo loco natis dignum est, quod neq; me indignum esse censeo, vt indies seipsis euadant meliores. Sed quoniam te exspectamus ante idus, non ero prolixior: eiusmodi sæpe, & his meliora sermonibus vsurpabimus. Vale Rostochio. tertio non. Quinctil. Anno LXXVII.

LAEVI-

LAEVINO BVLOVIO DVCIS BORVSSORVM *consiliario S. D. Ioannes Caselius.*



X iis sermonibus, quos tecum olim primos habui, vnum te memoria tenere existimo, vt studium tuum per adolescentis erga bonas litteras, quo te flagrare facilè animaduertebam, magnopere collaudauerim, iamq; diuinum illud ad sapientiam iter ingressi animum confirmare conatus fuerim, neq; paucis & bonis argumentis. Simul tibi accidit, neq; ferè aliter fieri solet aut potest, vt tu me statim plurimi faceres, & ego te non minus amarem. Ipse enim videbam tuos ad summa quæq; præclaros impetus: tu meam in te beneuolentiam: hæc non potuit non te, illi me itidem permouere, si homines essemus: vel potius, quoniam eramus homines, permouerunt. Diu deinde nos non vidimus, etsi tu me tecum quasi abstuleras, ego te in animo seruabam meo. Sed vt redeuntem excepi iuuenem, tum

 disci-

disciplina iuris, tum facultate dicendi, quorum vtrum dicam esse maius, ita subito non queo apud me constituere, etsi illam hodie esse hac, olim vero hanc illa, maiore in precio fuisse, nos minimè fugit: ibi tum vter nostrum plus ex altero voluptatis ceperit, non facilè dixero, cum & ego lætarer, te eum esse, qui vt prædixeram, honori nobilissimæ tuæ genti, vsui esse reip. posses, & tu non minus lætarere, nos de tua virtute & doctrinæ præstantia præclarè sentire. Sic igitur cum profundiores egisset radices hæc nostrorum animorum coniunctio, vel amicitia, iam vt tibi de mea in te beneuolentia persuaseras, ita mihi esse minimè metuendum putabam, ne aliquando ex animo tuo elaberer, quemadmodum in vulgus fieri videmus, fieriq; prorsus necesse est inter eos, qui quouis potius mouentur, quàm virtutis aut sapientiæ specie. Non certè me fefellit, neq; initio augurium meum, neque deinceps iudicium. Tu enim non conquiesti, nisi & re & litteris declarasses tui in me animi sensus intimos. Perge vero me amare: sed tu hoc facere desines, cum, quem nunc tenes, cursum deseres: deseres autem nullo vnquam tempore: tum monitus exemplis gentis tuæ, ex qua antistites habuit Megapolitana

ſitana regio aliquot:tum eruditus iis litteris, quæ nos verum decus numquam obliuiſci patiuntur. Mihi etiam viſum fuit, denuo meum in te animum tibi teſtatum hoc loco facere, cum iterum ederem librum hunc de laudibus Alberti, ducis Boruſſorum. Videbis, forte iam ante videris, voluiſſe me, optimè de litteris merito principi, gratias agere publico nomine: vitæ ipſius hiſtoriam de induſtria perſequendam reliqui aliis: eò potiſſimum, quia id illius loci non erat: etſi hoc quoq; me mouebat, quòd cum hæc ſcriberem, quoniam multa me fugiebant, vt nunc quoq;, inquirere omnia ita ſubito non poteram, tangere autem, quæ perſequi non poſſem, non libebat, neq; etiam debebam; ne lectorem earum rerum cognoſcendi auidum, fallerem, neue meæ exiſtimationi minus conſuluiſſe viderer. Fuit autem dux ille Boruſſorum, neq; litterarum rudis, vt & illa tempora ferebant, & plus quàm educatio principum, vti vulgo adminiſtratur, polliceri videbatur, & præclarè de iisdem mereri numquam dubitauit. Numquam ferè illæ patronos multos habent: ſed hodie cum habeant pauciſſimos, immo à fortunatis, vti à reliquo vulgo ſuperbè diſpiciantur; puta, Laeuine Buloui, eas à te

præsidium exspectare & petere, tamquam ἀντιπελάργησιν quam iure etiam flagitarent ab alumnis suis: sed non flagitant. Sciunt enim, quos ipsæ educauerint ingratos esse minimè: si secus sint, dicto non audientes fuisse autumant, & proinde eiusmodi in suis non habent. Eris igitur auctor principi tuo, vt hac in re exemplum patris imitetur, atq; etiam soceri ducis Cleuensium Gulielmi, qui cum esset à puero ab homine doctissimo præclarè in litteris educatus, sapienter rexit, regitq; etiamnum suos populos, vt in mediis fluctibus extra periculum sint, fortunæ bonis abundent, in omnibus ius & æquum colant: confirmabis etiam collegas, vt tecum sentiant, vel quoniam à te non dissentiunt, iunctis animis & studiis illud publicæ gubernationis munus feliciter gerite: in quo non est curarum vltima de educatione nascentis ætatis, neq; ab illa cura diuelli potest altera de studiis litterarum, siquidem verum est, quod sapientissimi asseuerare non dubitant, studiis sapientiæ priuatam vitam benè regi & publicam, & illis proculcatis iacere omnem spem beatæ vitæ, vel saltem commodæ & hominibus dignæ, contra omne genus calamitatum ingruere. Etsi autem ob improba potissi-

mæ partis mortalium iudicia, & peruersas voluntates, vt de aliis casibus & ærumnis nihil dicam, quæ natura comitantur nostro generi, res mortalium tuto loco, velutiq; in portu constitui non possunt: tamen & quod est bonorum, quæ sunt quàm plurima, comparare & conseruare, quod malorum, depellere conari debent sapientes, & vos hoc magis, quibus cura ciuitatum & populorum credita est, quanto est vestra maior dignitas, fulta opibus & potentia. In hac sententia cum fuerit, vt de vno dicam, quod poteram de plurimis, Eteocles Æschyli, qui, vt suæ ciuitatis saluti consuleret, perire etiam ipse maluit; tu profecto tuiq; collegæ, nobilissimi & clarissimi viri, non minus intelligitis, & omnia, vt viros animi magni decet, postponitis vtilitati publicæ. In iis esse intelligo, qui me ament: hos amabo, confirma, & ceteros mihi amicos redde. Vt enim bonos vnicè veneror, ita non nisi bonis esse carus cupio, & mori esse duco satius, quàm non diligi à bonis, quibus qui se non probet, merito putetur esse nihili. Vale Rostochio non. Iun. Anno CIƆ.IƆ.XXC.

EPISTOLA IOANNIS CASELII

De Illustrißimi principis, Domini ALBERTI FRIDERICI, Ducis Borussorum, Marchionis Brandenburgensium, erga bonas litteras meritis, ad eundem principem perscripta.



Am pridem ad te dare litteras constitueram, Alberte Friderice princeps. Cum enim tu in studiis ingenuarum artium educareris, in quibus aliquid me videre multi crederent: multis nominibus non licere tantum, verum etiam incumbere mihi, pæneq; mei muneris esse credidi: vt de ipsarum dignitate, suauitate atque fructibus aliquando tecum disputarem. Cum autem post multas meas peregrinationes, aliasque molestias, id iam iam agerem, cogitassem certè de omnibus sedulo quæ rectè à me scri-

bi,

bi, à te vero ex epiſtola mea cognoſci poſſent: incidit hoc tale tempus tuum, quo cum accurratè inuenta è manibus mihi, aliquam partem, excuti, tum plus tamen ad ſcribendum argumentorum ſuppeditari videretur. Quorum ego quædam attingam: vnum fortaſſe hiſce litteris plenius perſequar. Vt enim ego vel ad te conſolandum, vel ad erudiendum de ſuſcepto imperio paterno erudiam: id quamquam non erat alienum: tamen nihil mihi horum ſumam, ſed conſolationis atque conſiliorum partes relinquam ijs potiſsimas, qui eas iam ſuſceperunt. Poſtquam enim hæc rerum tuarum, fati arbitrio, XIII. Kal. April. nata conditio eſt: ſtatim certe quicunque tibi bene vellent, non ſolum dolore tuo grauiſsimè perculſi fuerunt, quod humanitatis erat, ſed etiam te conſolari, & ad accipiendum ſuſtinendumque patris imperium confirmare, quod beneuolentiæ atque prudentiæ, & cupidè in animum induxerunt, & quibus id rectè fieri viderent modis, etiam cæperunt. Neutrum enim dubium eſt, quin cum optimus potentiſsimusque Boruſſorum dux, Albertus, pater tuus, licet annis confectus, & velut excurſo ſpacio decederet, ipſumq; lectiſsima femina mater tua, ingraueſcente

nondum ætate, paucarum horarum ſpatio, ac ſi quem viuum vnicum complexa fuiſſet, eum mortuum adeoq́; nunc primum morientem, numquam poſſet deſerere, conſequeretur: non dubium inquam eſt, quin gemino hoc luctu, hac præſertim prima tua adoleſcentia valde conciderís, dolore pæne exanimatus. Neque iterum dubium eſt, quin, cum hæreditatem ampliſſimam adeas, paternumq; regnum, cui ſuſceptus es, & tumetipſe eius nauclerus futurus, idque hodie, quando totus pæne orbis horrendis atque incredibilibus motibus, ab annis plurimis contremuit, & ij quoque iſtam tuam terram concutiunt vel petunt, gubernare incipias, multæ grauiſsimæq́; cogitationes & curæ, humano conſilio vix explicabiles, te exerceant. Quod ad prius attinet: miſerunt ad te haud dubiè conſolationes verè & accuratè ſcriptas, pro eo amore, quo te complectuntur, & ſumma ſapientia, qua præſtant, primùm gentiles tui, ſplendore generis & regiis virtutibus ſummi principes, Marchiones Brandeburgici. Et nunc vero etiam ipſis par, Ioannes Albertus, dux noſter Megapolenſis, ſororis tuæ maritus, nobiliſsimos hinc ad te viros ablegat: quorum tu vi-

tu virum certè eloquentem, & reconditis sapientiæ haud adumbratæ litteris singulariter excultum, Gorislobum Rotermundium coràm audies. Cum autem illi, quos dixi omnes incredibilem quoque dolorem & ex obitu parentis tui, & ex tuo, dolore cuius magnitudinem facilè perspiciunt, capiant: tum princeps Ioannes Albertus, sororem tuam, suam coniugem, quæ in eodem tecum luctu est, mœstissimam profecto, bonis argumentis, quorum sibi copiam è studio utriusque philosophiæ, & humanæ & cælestis comparauit, vix satis consolatur & erigit. Ita in maximo hoc & recenti vestro dolore, & ipse vobiscum dolet: & vobis remedium simul adhibet: neque nihil proficiet spero: quando scilicet, vt animum in acerbissimum hunc casum, ita mentem in consolationum verissimas & quamplurimas rationes infigeris. Consolabuntur vero etiam te coràm, quorum magna istic dignitas, & auctoritas apud te prima est: & cum primis, qui diuinis litteris probè eruditi & longo tempore in hoc vitæ spatio versati erunt, hoc accuratè beneq; facient. Quos tu audies, princeps optime, frangesq; dolorem tuum. Cum igitur & illi quantum possunt, quantumq; omnino fieri potest, consolando faciant, & tu ipsorũ me-

medicinam minimè repudies, ſed ea te curari paullatim magis magisq; patiaris: ſuperuacaneum profecto erat, ſi conſolationum commentarios ego quoq; ad te mittere, in animum inducerem: quamquam verum eſt, quæ litteris exprimuntur, lectaq; apud animum perpenduntur diligentius, modo ſint tamquam à veritate decerpti ſurculi, profundiores firmioresq; in animo radices agere, ipſumq; ſi non vehementius, magnopere tamen, quô inſtitutum fuerat, commouere & in meliorem affectionem conuerſum mirificè confirmare. Quod ſi exiſtimandum eſt, vt ego prorſus inficiari puto neminem: etſi hoc conſolandi munere ſuperſedendum mihi exiſtimaui, eoq; ſic ſuperſedeo, vt ipſo plenius fungi minimè decreuerim: tamen hoc ſcriptionis genus ea quoq; habet, quæ animum tuum conturbatum, ad tranquillitatem & cogitationes pacatiores ſummeq; neceſſarias abductura videri poſſint. In altero quoq; neq; decuit me omnia conari, neq; nunc fortaſſe nihil dicere. Cum autem ipſe ineunte primum adoleſcentia, onus & tam multas & ita amplas prouincias regendi ſubeas, idq; temporibus longè difficillimis: facies primum, quantum per ætatem potes neq; vero non, quos ante

dixi

dixi, gentiles, propinqui, comitesq́; regiæ istic tuæ, tuas partes rectiſſimè explebunt: iis vſi conſiliis, quæ optima ſint, & eam adhibentes opem, quam & poſſint, & debeant, & hic rerum ſtatus poſtulat. Ne vero quis miretur, quî tè ego ipſum aliquid, vel potius multum facere iubeam, etiam nunc, cū nondum ex ephebis egreſſus es. Facio id equidem, primum ad eorum, qui ad res magnas ſuſcepti natiq́; ſunt, naturam reſpiciens: deinde ad eam educationem, quæ tibi conſilio ſapientiſsimi parentis contingit. Si enim antiquitati credimus, à pueris etiam, qui poſtea heroës ſemideiûe appellati ſunt, ea geſta vel tentata legimus, quæ non ſolū ſingularia, verum etiam incredibilia videantur. Sed miſsis pluribus, nónne Alexander, Philippi F., etiamnum puer, tanto impetu ad gloriam præclarasq́; res gerendas ferebatur, vt cum patrem ſæpius victorem nunciari intelligeret, ſibi omnem pæne laudis materiem præripi quereretur? Neq; tamen non ille poſtea vniuerſū orbem trophœis impleuit, vt facilè vtrumq; conſtet: ipſum & pueriliter tum lacrymaſſe, & viriliter excellentiam inter mortales, adeoq́; immortalitatem expetiuiſſe. Sum autem ego etiam præſentis ſeculi ita amans, vt

vt eius ſententiæ ſim: etiam hodie heroës omnis generis & viuere & generari diuinitus: cum ex iis vnde non ſperes: tum potiſſimum è veſtro ſanguine regio. Id enim cum ratione eſt, & frequentius accidit, vt è bonis boni, è magnanimis magnanimi procreentur: nec fruſtra omnibus ſeculis boni etiam viri de maiorum claritate gloriantur. Tu igitur cum VIIvirali, adeoq; regio loco natus ſis: non debet quis aliter ſuſpicari, quàm te in adoleſcentia, virili iam animo eſſe, neq; indolem ſolum in te elucere, ſed ea quoq; te gerere, quæ viro ſingulari, quæ tanto deniq; duce digna ſint. Ipſe vero hoc multo magis credo, quod modo optimo, ſumma diligentia, hoc eſt regiè te educari ab incunabilis, litterasq; quibus & homo ad vitam & princeps ad imperandum rectiſſimè informaretur, doceri iuſſerit optimus & ſapientiſſimus princeps, pater tuus. Educatio autem cum vel malè natam indolem emendet, mediocrem adiuuet; an non quam primum heroicám promoueat, & omnibus tandem numeris abſoluat? Te vero, ita vt dixi, & haud dubiè res eſt, natum, ſi nondum perfecit domeſtica diſciplina, ſic certè inſtruxit, vt iam cum per te præſtiturus ſis apud populos tuos ſingularia,
tum

tum maximè cum senatum quém consulas, Borussis tuis, vt genere nobilibus, eruditione claris, ita & reliqua virtute, & moderatrice vniuersæ illius prudentia præstantibus stipatum habeas. Quare si & animum intendes ad rectè agendum, & mente vteris ad bene sentiendum, & viris amplissimis, qui tibi à consiliis sunt, parebis: profectò feliciter beateq; & tibi & tuis cedet tua-tuorũ gubernatio: nec non, si qua humano ingenio explicari minimè poterũt, vt sæpe in rebus mortalium vsu venit, tũ ipse tibi Deus, quem sanctè coles, quæ saluti vobis sint, largè suppeditabit. Hic enim tibi multo certius præsto futurus est: quàm Minerua præsto fuit adolescenti Telemacho, ipsiq; in compellando Nestore, pleraq;, quæ diceret, subministrauit: quod quidem futurum ipsa, Mentori adsimulata, ipsum ante docebat. Verius autem nos hoc tibi adfirmare possumus. Namque etiam arbitramur,

ὅ σε θεῶν ἀέκητι γενέσθαι τε τραφέμεντε.

Quamquam vero vltro iis obtemperabis, qui tibi à consiliis sunt, tamen vt hoc facias, rogandus mihi es, & tantisper iis obtemperes, donec omnium consiliorum thesauros ipse solus penes te habeas. Id quod vtroque nomine à me dictum velim: pri-

mum

mum, quod iuuenum persuasio, quæ vana plerumq; est, & confidentia, quæ impetu vt plurimum magis fertur, quam ratione regitur, multa tam regna & plurimas resp. labefactauit, & funditus deleuit, deinde vt te doceam, quod à prudentissimis viris, multis ante seculis proditum fuit, eum demum principem, omnibus regiis animi bonis locupletatum, & summo denique imperio dignum esse, qui eam sibi & ex litteris & ex vsu rerum prudentiam compararit, vt vel solus suis consiliis, quocumque tempore, sustinere idipsum possit. Quod tamen sic intelliges, ne cum hoc, quod rari admodum adsequuntur, adsecutus fueris, prudentes viros abs te repellas, & amicorum tuorum monitus, rationesque repudies: sed ut in perpetuum eorum consilia non minus indages, audias, & sequaris: non solum, quia nullius mortalium mens vnquam vidit omnia: verum etiam, quod, etiamsi quis intellecturus esset omnia, nemo quisquam est, qui solus multitudinem istam negotiorum, quæ declinare bonus princeps non magis potest, quàm liberorum curam abijcere pater, animo complexurus esse videatur. Neque Alexander adolescens solum habuit, quos audiuit;

diuit; verum etiam, poſtquam ipſe per ſe omnia cæpit intelligere & gerere, amicorum, quos ſummos belli duces, & fortiſſimos viros fuiſſe accepimus, conſilia haud quaquam ſpreuit: etiam, qui, cum hoc prior multo eſſet, ipſi Alexandro admirationi ſummæ ſingulariq; exemplo fuit Achilles, non ſolum ſe puerum, tum domi, tum apud Chironem educari paſſus fuit, ſed etiam ad Troiam ſecum habuit Phœnicen, Patroclum, Neſtorem, & alios, quos conſuleret rebus dubiis, & ſequeretur actionum veluti viæ duces. Neq; regum fere quiſquam fuit, vel potius nemo fuit: quoniam & tyrannos & ſi qui pro libidine ad cupiditates ſuas omnia referunt, vt ab ordine veſtro, ſic à diuino iſto nomine exterminamus: neq; hodie quiſquam eſt, quin quotidie ſenatum cogat, & in omnibus exploret prudentium ſententias. Etſi autem tu quoq; hoc facturus es: tamen elaborandum tibi erit, vt cum fontem eſſe te iſtic omnium rectiſsimè factorum oporteat, principem etiam eſſe omnium rectiſsimorum conſiliorum intelligamus & gaudeamus. Dixi paullo ſuperius, adſecuturum te id tractatione negotiorum quotidiana, & perpetuo litterarum ſtudio: idem nunc iterum dicam, quo te magis ad prudentiam

regiam inflammem: te id inclytum principem parentem tuum imitando adsecuturum citius. Scis enim, neq; poteris obliuisci: ipsum omnem ætatem maximis rebus gerendis fuisse occupatum: neq; vmquam discessisse à doctrinæ studiis. Cum autem parentis tui obitus potissimum huic epistolæ occasionem dederit: erat profecto hic primus & longè opportunissimus ipsius prædicandi locus. Facerem nihil sine ratione, nihil sine exemplo nobili. Facerem enim, quòd Isocrates, qui Euagoram ad Nicoclem misit: cumq; Euagoræ vitam nudè exponeret, eadē opera Nicoclem, viuendi regnandiq; viam admirabiliter docuit. Sequerer autem præstantissimum auctorem in præsentia, nisi & nimis longum esse, & ne quid dissimulem, supra modum difficile, iudicarem. Ab alto enim principio repetenda erant primū, quæ de illustrissima vestra gente ex multorum scriptis eruissem: deinde explicandæ res Borussorum: neq; non, quæ difficultates pristinos istius prouinciæ ordines excepissent, & omnium statuum mutationem peperissēt, vberius itidem erat ostendendū: donec hæc recentia quoq; accederent. Ex hac enim demum omni historia, parentis tui vita, mores, prudentia, res gestæ, fortuna elucescerent.

Quam-

Quamquam vero alii quoq; doctiſsimi viri, laudes ipſius immortalibus litterarum monumentis conſecrabunt: quod potiſſimũ eos facere æquiſſimũ eſt, quos ipſe præmiis haud vulgaribus ornauit, id quod illi minimè negligent: tamen & ipſe quoq;, quod rectè hic fieri dixi, nec fieri tamen ita celeriter poſſe, oſtendi, rebus omnibus exploratis, otiũ nactus aliquando faciam, ſi hoc à me requiri intelligam. Tempori enim & veritati conſulere, & hiſtoriam luculentius narrare potero. Ita tamen hoc promiſſum differo, vt nunc ipſum, quæ, quantaq́; optimus princeps in adiuuandis litterarũ ſtudiis præſtiterit, non ſim præteriturus ſilentio: idq́ vt primum de ſuis Boruſſis, poſtea de vniuerſo genere mortalium bene mereretur. Sic enim ſentiebat, & ſe bene ſentire, minimè dubitabat: cultu doctrinæ, animos, vitam, mores, conſilia, actiones, fortunam propemodum ipſam mortalium, ſiquidem hæc, etſi rationem plerumq; ſuperat, tamen à ratione ſæpe ipſa quoq; ſuperatur, emẽdari, regi, expoliri, atq; conſeruari. Cum igitur primum ciues ſuos, bonos, prudentes, felices, beatos deniq; eſſe optaret, & facere percuperet; primus publicam ſcholam Regiomonte fundauit, vbi omnis generis honeſtæ liberaleſq́; diſcipli-

næ in perpetuum docerentur. Itaque magnis præmiis vndecunque optimarum artium professores accersiuit: & ipsis & iis, qui vmquam successuri essent, honestißimorum laborum amplißimas mercedes decreuit, quæ omnibus deinceps seculis penderentur. Habendam enim etiam sibi posteritatis rationem putauit, quo profecto nihil est præclarius, & ad veram gloriam parandam aptius. Plurimum autem vidit in eo deligendo, cuius consilio & tamquam manu in fundamentis scholæ illius suæ iaciendis vteretur. Deligebat enim Georgium Sabinum, virum clarißimum, qui non solum integritate vitæ & omni eleganti doctrina excelleret, verum etiam propagandarum litterarum rationem, quæ non aspernenda prudentiæ pars est, probè, vt quisquam ex hominibus doctißimis alius, teneret. Sabinus enim, & in Germaniæ & in Italiæ celeberrimis gymnasiis vixerat & floruerat: & quid quo loco rectè, quid perperam fieret, animaduerterat, neque non de litteris, deque earum non ostentatione, atque vulgari opinione, sed vsu certo & vero fine superioris ætatis amplißimorum & virtute litterisque clarißimorum paßim sententias audierat,

cum-

cumque tantis viris ſentiebat: quod de eo tanto libentius affirmo, quod & ego ipſum noram, & ipſe me adoleſcentem ſingulariter amabat. Quare pater tuus cum hoc conſilium vrgeret, ipſo rectiſſimè vſus fuit: & iſtic eum apud ſe, ob hoſce vſus, vt par erat, in honore habuit, nec non tandem locupletiorem domum remiſit. Nam ipſum à gentili veſtro Ioachimo II. VII. viro acceperat. Neque vero huius loci eſt, omnes eos, qui iſtic parentis tui auſpicio & munificentia, litteras docuerunt, atque etiamnunc docent, nominatim recenſere ordine, & quemque ſuis ornare laudibus. Per ſe enim ipſi clari ſunt, nec vulgares eos viros eſſe oportet: de quo quis dubitet, niſi qui parentis tui erga omnis generis homines eruditos liberalitatem ignoret? Ibi namque bonas artes florere, vbi in honore ſint, ipſarumque periti præmiis adficiantur, neceſſe eſt. Quis autem eius bonitatem, facilitatem, liberalitatem, munificentiam ignoret, niſi, qui quæ hodie in orbe gerantur, aut omnium litterarum ipſe rudis ſit, ignoret? de quarum virtutum opinione, vel potius vera gloria ita minimè à quoquam ſibi detrahi volebat, vt cum nonnulli ipſius bonitate atque ma-

 gnifi-

gnficentia abuterentur; id nonnumquam pateretur & dissimularet. Quàm autem voluerit omnibus gentibus & posteritati benefacere atque innotescere, hoc ipso declarauit, quod & exteros præcones virtutū coluit, beneficiisq; auxit,& munera quoque ad eos misit, qui publicæ vtilitati laborarent. Ipse mihi Ioannes Bocerus, ducis nostri, poeta, narrauit, se istic à parente tuo humaniter liberaliterq; fuisse exceptum: qui si viueret, gratū suum animum funebri carmine testaretur. Delectatum enim fuisse scio opt. parentem tuum, suis vestræq; gentis laudibus, hoc est, vestrarum virtutum commemoratione: quod in reprehensionem profecto nullam cadit, cum optimum quemque hoc genus acroama delectet maximè, quo nihil etiam omnium suauius esse, non auribus, sed animo, è sermonibus Prodici retulit & probauit apud Xenophontem Socrates. Cum enim Ioannes Censorius Aemilianus, potentissimorum tuorum gentilium Ioachimi II. VII viri, & Sigismundi, Ioachimi F. primatis Germaniæ, poeta, de Marchionibus Brandeburgicis præclarè quædam poemata exorsus fuisset: tum statim & iterum aliquanto post, ille ipsum & muneribus ad ea, quæ instituisset persequenda inuita-

inuitauit,&litteris,quas ipse quoq; legerim, monuit: quæ res vniuersa & curæ hactenus fuit Censorio, & curæ deinceps etiam futura est: neq; non in præsentia funebre aliquod panget, donec pleno ore immortales eius laudes, in opere, quod dixi, concinat. Et quidem hoc meritum est Alberti illustrissimi, vt non solum ab ijs,quos munificè tractauit, sed & à nobis, qui publicæ vtilitati litteras ab ineunte ætate didicimus, summa diligentia colimus,& maximis laboribus, minimo nostro commodo, propagamus, celebretur: quoniam ille non solum sibi, suæ genti, suisq; civibus & populis,sed etiam vniversæ mortalium societati, etiam ad posteritatem,litterarum earumq; artium, quæ non nisi regiis impensis alerentur atq; exercerentur, conseruationem magnificè adiuuit. quod ipsum illustri exemplo docere possum. Nam quod Erasmus Rænoldius, opus insigne mathematicũ, diuturnis vigiliis elaboratũ in lucem edidit: id totũ & nos debemus,& sera posteritas sapientiss. & opt:duci Alberto debebit:neq; hoc beneficiũ vmquã obscurari poterit,&ne obscuraretur, auctor nõ minus prudẽti,quàm grato animo tabulas illas suas Prutenicas inscripsit. Quãquam autem etiam hac in parte multo esse

vberior poteram: tamen, ne mihi pro ampla epiſtola liber naſcatur, hic finem faciam: & vſitata clauſula, te Alberte Friderice princeps, obteſtor, vt ea ſtudia, quibus pater te imbuendum dedit, ne deſeras, & paternis veſtigiis inſiſtas, quod eo certius, factum te perpetuo, mihi perſuadeo, quod quoſcunq; mihi Marchiones Brandeburgicos videre contigit, eos præter magnitudinem animi regiam, beneficentiſsimos atq; litterarum cum ſtudioſiſſimos, tum patronos maximos eſſe, intellexi: de quibus vero ex monumentis litterarum cognoui, cognoui planè eadem: deniq; ipſorum vultus, quos artificum manu in tabella expreſſos intuitus ſum diligentiſſimè, humanitatem & clementiam natiuam, ſpirare dixeris. Sic ſane mihi viſum fuit, etſi non ſum aliquis phyſiognomonum, quorum tamen coniecturæ non ſunt de nihilo, ſi ſapientibus credimus. Quod igitur tuo generi proprium eſt, id tibi quoq; proprium eſſe, minimè dubitabimus, poteruntq; te omnes tui maiores, & qui hodie florent, gentiles tui, ad ſumma quæq; excitare: inflammare vero certe exemplo ſuo te poterit adoleſcens clariſsimus Ioachimus Fridericus, ſapientiſsimi VIIviri Ioachimi II. nepos, Marchionis

nis fortissimi Ioannis Georgii filius, qui te non multis annis maior est. Ipsi enim cum educatio tuæ similis contigisset, puer litteras didicit, quibus se & ad bene viuendum & rectè imperandum præpararet. Sollicite namq; & quidem vltro sequebatur ducem suum Thomam Hubnerum: cuius ego virtutine an doctrinæ, cum eo nihil sit probius, nihil doctius, nihil deniq; disertius, plus tribuam, apud me nondum constitui: me vero etiam, qui viro illi opt. atq; doctissimo, ambarum illarum studio essem coniunctissimus, sæpe coram, sæpissimè etiam per litteras, summa cum voluptate audiuit. Ita accidit, vt & per nos, & per hæc studia, quæ coleret, maturè omnibus bonis innotuerit, admirationemq; etiam suæ virtutis in longinquis terris, apud eos, qui virtutem & verum decus intelligunt & celebrant, singularem concitarit. Nam de aliis non dicam, qui plurimi sunt: colunt Ioach. Fridericum, nostri seculi doctrinæ principes, Petrus Victorius & Carolus Sigonius, iamq; ad eum aliquoties πραινέσεις miserūt, doctissimè scriptas, & refertas salutaribus doctrinis, depromptas ex opulentissimis thesauris sapientiæ: neq; non amplissimis porro laudibus ornabunt, iidem etiam, vbi ipsū, quando nunc


legitimis suffragiis in Germania pro primate est, & doctrinæ studia minimè abiicere, & ita, vt litteræ ipsum docuerunt, quotidieq; adhuc docent, populos suos iustissimo æquissimoq; imperio regere, nisi iam ea fama Alpes transiit, intellexerint. Huius te amplissimis, verissimisq; laudibus fauere, & earum æmulum esse, tuæ ætatis, tuarumq; partium est. Verum, quæ ego te omnia monui, quæque recensui, cuiusmodi te ad summam virtutem & sapientiam possent inflammare: eadem te monebunt quoq; alii, & recensebunt hisce etiam multo plura, prout res ferre videbitur. Ego iam huic epistolæ finem imponam: quæq; ad te præterea vel de studiis litterarum, valde equidem instituto vtriusq; nostrum accommodata, vel de diuinis parentis tui laudibus scribere poteram, in alium locum differam. Reliquum est, vt te rogem plurimum, ne hoc meum in te studium, atq; hanc scriptionem improbes: quamquam mihi persuadeo, te officio hoc meo, quæ tua est bonitas & prudentia, cum per se delectatum iri, tum maximè, quando intelliges, me tuorum meritis obnoxium, hoc ipso fungi non solum potuisse, sed potius debuisse. Primum

namq;

namq; dux Ioannes Albertus mihi iam inde à puero, cum ipse, omni genere doctrinæ politissimus, de ingenio meo censuram egisset, nihil vnquam, quod ad me adiuuandum ornandumq; faceret, negauit: tum Germaniæ Proprimas Ioachimus Fridericus, singularibus etiam beneficiis sæpenumero iam me adficere non dubitauit. Cum igitur vtriusq; principis bonitate, me non solum ipsis, verum ambabus vestris familiis, Marchicæ & Megapolitanæ obligatum sentiam: tu profecto non solum hoc, quod facio, collaudabis, verum etiam tuorum cum sim, tuum quoq; me esse, & vltro voles, & benignè iubebis: id quod alterum erat, quod itidem te in hac clausula non minus, quàm superius plurimum rogarem. Vale, & ita præclare te in isto imperio gere, vt, cum tu, quæ ad beatè viuendum faciunt, repereris, cum tuis deinceps vitæ beatæ commoda paternè communices. Suerino XV. Kalend. Maii. Anno CIↃ. IↃ. LXIIX.

IOAN.

IOANNES CASELIVS
SAMVELI FRATRI S. D.



Tinam valeas, mi frater: etsi vos valere omnes, cupide spero, cognoscere autem cupio maximè: metuo interdum, ne quid cuiquam nostrum, passim istic sæuiente pestilentia, vt audio. Amabo te, vide, siue in eadem naui vos quoque estis, siue nihil tale vobis timendum est, valetudinem tuam vt tuearis, quantum potes: quod consequeris, si & corpus exercebis, & tibi à studiis magis quàm soles, temperabis. Etsi enim neq; ego, neque quisquam, qui eas rectè degustauerit, litteris exsatiari potest: tamen nostræ naturæ, in qua aliquid mente hæret debilius, moderari nos rectè, æquum est: prorsusq; nobis præstandum, ne ignobiliorem nostri partem, tamquam minimè nostram, verum alienam, deseramus: sed potius, vt hoc animi nostri domicilium, veluti probi ædiles, huic à natura rerum præfecti, sartum tectumq; perpetuo tueamur. In hoc, etsi laboraui, quod tu non ignoras

ignoras, ſemper ſedulo: tamen in quantum vitæ diſcrimen, quàm inſperato incidi? de quo meo graui caſu audieris ex Cenſorio, cui tamen neſcio, quid abeunti litterarum dederam: ſcripſi & poſtea per Megapolitanum: tertiam hanc epiſtolã do adoleſcenti, qui te itidem, ſi ad te ipſe, ut puto, veniet, de nonnullis docebit. Ex morbo convaleſco, quo iam dies C I I L. decumbo: breui ſpero, totum me colligam. E comitibus vero etiam noſtris Iochimum Molſanium: quanto robore iuuenem? amiſimus. Hoc tamen ipſum robur paucisſimorum dierum ſpatio neſcio quo morbo infractum corruit. Non igitur fruſtra te hortor, vt tibi hac tua ætate, & hoc tempore, quæ ad te tuendum, nobisq; conſeruandum faciant, diligentisſimè videas. Hæc ut te monerem & rogarem, mouit me atq; impulit, primum amor, plus etiam quàm fraternus, quo te proſequor: deinde publico hoc nomine facio, quod, ſi ſuperſtes nobis eris, bonis litteris & reip, hoc eſt, generi mortalium, tuo loco, adiumento & vſui te futurum eſſe video, cum eruditionis ſolidioris, & virtutis non ſimulatæ ea iam fundamenta adoleſcens feliciter ieceris. Sed quod putaui mearum eſſe partium, vt te hoc monerem,

nerem, non ago nunc pluribus, cum quod te ante quoq; monui sollicitè, tum, quod, quàm libenter monitis meis pareas, scio. Quando visuri me sitis, quæris: affirmare nihil possum; tamen ante ver frustra me exspectabitis. Tum autem adero, aut mei aduentus, quem tum vel appropinquare oportet, ex me nuncium habebis. Aliquid librorum nobis coëmi, qui quàmprimum istuc curabuntur. Erasmum Rudingerum, quem tibi non immerito singulariter colendum delegisti, virum & rectè doctissimum, & sincerè humanissimum ex me plurimum saluta. Vale. Bononia. Prid. Kal. Decemb. Anno CIↃ. IↃ. LXV.

JOANNES CASELIUS Casparo Flotouio S. D.

VT primum, Caspar Flotoui, ingenium in te perspicax, indolem singularem, & præclara ad veram solidamque eruditionem atque omnem virtutem principia deprehendi: (nam quibus

etiam abundas fortunæ bonis, ea me non mouerunt, neq; sapientis iudico, generis splendorem aut opes cuiusquam vel regias per se suspicere) continuo te vehementer amare cæpi, tibiq; animum, amicitiamq; meam, à qua non abhorreres, vltro aperire non dubitaui: non mea quædam commoda secutus: sed eo feci, cum quia ex adolescente singularis exspectationis non parum voluptatis capiebam, tum ut tecum aliqua, quibus adiuuarêre, liberaliter communicarem. Nihil enim mihi prius, aut iucundius est, quàm & eruditis bonisq; atq; doctrinæ humanitatisq; cultoribus frui, & vel à maioribus de summis rebus doceri, vel inferioribus cura, laboribus & vigiliis meis, meo loco opitulari. Iam tu mihi testis es, quàm ego te à primordiis nostræ notitiæ, quoad simul viximus, fideliter & monuerim & hortatus sim, &, si qua daretur occasio, etiam erudierim. His enim viis te facilimè in officio retineri videbam: neque vmquam ab hoc meo instituto, quo te volentem non leui beneficio mihi afficere viderer, vlla parte disceßi: tibiq; meum in te animũ, & quãdo hoc itinere suscepto amici valedixi, & datis ex itinere ante morbũ grauissimũ litteris, confirmaui. Etsi autem non dubito

ſed etiam ſimul ſine reprehenſione plurimum dulcedinis, atq; ſuauiſſimorum fructuum percipimus. Vides vero tamen, etiam me fateri multa nobis aduerſa ſubeunda, multa difficilia ſuperanda eſſe: ſed hæc, & vitæ perfectio ſiue expolitio, qua nulli vnquam ſano quidquam exſtitit optabilius, & ſalus reipublicæ, cui natos eſſe nos exiſtimare, ſanctiſſimum eſt, & gloria, quæ numquam non huic excellentiæ comitatur, abundè compenſat. De vtroq; præclarè te monebit Orpheus Caſſij: cuius Orphei huc Roma miſſi proximè, fecit mihi copiam vir clariſſimus: ex eo hos verſus accipe & memineris.

Non leuis adſcenſus, ſi quis petit ardua: ſudor
Plurimus hunc tollit: nocturno exſomnis oliuo
Immoritur: delet quod mox laudauerat in ſe,
Qui cupit æternæ donari frondis honore.

Et quidem hæc ſatis: ne ſi nimiam de te ſollicitudinem præ me feram, de tuo animo nobiliſſimisq; ſtudiis dubitare aut ſiniſtrè ſuſpicari videar. Vale. Florentia. VI. Id. Ian. Anno CIↃ. IↃ. LXVI.

IOANNES CASELIVS S.D. Victori Basseuitio.

Litteras primùm tuas Dreseæ certo homini ad tuos perferendas tradidi, cum me tardius in Megapolin venturum viderem: reliqua ipsis coràm exponam & reddam: id erit non citius quàm Ianuario. Tu autem quod vales, quodq; operam litterarum studiis singularem nauas (sic enim scribit gentilis tuus) valde gaudeo: teq; vt tibi constes, hortor & rogo, quoniam tibi tuæq; genti ex animo volo. Quod si facies, certè futurum est, vt consequaris non solum, quod pleriq;, sed quæ ego tibi multo maiora prædicere solebam, vt te ad litterarum & humanitatis studia colenda inflammarem: quæ qui colant & persequantur; eorum profecto magna penuria est; in summis præsertim & fortunatis familiis, quæ apud vulgus præcipuè auctoritate valent. Cum enim eorum pauci ad litteras & singularem veramq; virtutem animum adiungant: tum quàm ex iis multi ab ipsis, idq; multis perniciosisq; modis abducuntur? quod quidem

dem tu non ignoras, & multos meministi. Neq; vero pauci in ipso curriculo concidunt & pereunt. Non numero eos, quos ego recordor, ne dolorem meum augeam: ac ne eos quidem omnes, qui dum domo absum, immatura morte sublati sunt, cum essent non iam in spe optima, sed etiam pleraq; illa bona fuissent adepti. Fratrem autem meum Samuelem Caselium præterire nullo modo possum, quem ego, vt tute scis, in alterum iam annum lacrymis prosequor, neq; possum ab iis mihi temperare, quoties vel ipsius nomen, vel verba, vel vultum recordor, aut monumentum ipsius ingenii intueor: in quo cum sim immodicus, sæpe me ipsum reprehendo: neq; tamen hoc dum vulnus sanatum est, aut breui cicatrix obducetur. Vulnus etiam nouum nunc accipio: quo ego nuncio te non libenter impertio, quando tibi non minorem, quàm mihi dolorem inuret. Amisimus autem amicissimum nobis atque carissimum Casparem Flotouium, qui licet modestus esset, vt decet adolescentem, & eum maximè, qui Musis nomen dederit, tamen leui quodam erratione cuiusquam an casu?, (sunt autem lapsus iuuentutis faciles, & casus varij atque periculosi.) Francofurti ad Viadrum, quo studiorum

caussa abierat, periit. Cum enim ad dextræ carpum vulnus accepisset, quàm periculosum initio, affirmare non possim, in febrim incidit, quæ indies magis magisq́; eum vreret, vt tandem tabe exestus, cum & ipse multo melius speraret, & id vix metueretur, deletus sit. Nollem equidem, ipsum eo abiisse, ac rogatus consilium, diuersum aliquando suaseram. Cum enim adolescentuli animum, & quidem ipsam adolescentiam exploratissimam haberem, auctor eram, vt neq; à pædagogo, quem habebat, non cuiusmodi ipsorum vulgus est, vt propterea pæne omnes male audiant; sed & satis doctum & minimè acerbum, dimitterent, neq; ipsum longius ante discedere, quàm & ætate esset maturiore, & animo ad litteras confirmatiore, paterentur: ne scilicet corporis animiq́; fideli custode destitueretur. Neq; enim nescio, quàm facilè optima etiam indoles, dum sine certo duce vagatur, animo etiam fluctuans, vel pravitate sodalium corrumpatur, vel quauis etiam minima occasione, quod Caspari accidit, pereat. Ipsum autem nulla dum sui parte, neq; hac, neq; illa re fuisse corruptum: sed tamen, proh dolor, vt ostendi periisse, comperi.


Ingens

Ingens ille matri Luciæ Molſaniæ, fœminæ lectiſſimæ, quæ ipſum tenerè amabat, præſenti tum (accerſita enim domo fuerat inſcio filio) & oculis ſummum ſuum dolorem intuenti: ingens profectò & luctuoſum ſui deſiderium reliquit, neq; haud dubiè minus patri Andreæ, qui huncce filium ornamento familiæ ſingulari, & præſidio, ſi quo vmquam felici familiæ opus eſſet, fratribus & propinquis futurum, ſperauerat eam ſpem ego in optimi ſenis animo ſæpe confirmaram: neq; vt opinor, hoc temerè faciebam, quando ille vix ephebus, eo erat pudore, ea elegantia & ſuauitate morum, & modeſtia, ea deniq; vitæ innocentia atq; probitate, qua meminimus: ita & doctos homines colebat, & litteras amabat, vt has longo tempore, magnis expenſis, multis vigiliis paſſim terrarum, non ſolum de conſilio patris & amicorum, ſed multo magis ſua ſponte ſibi parandas conſtituerit. Plurimum vero etiam ipſum incenderat Theoderici Molſanii aui paterni claritas: à quo ſe ab vltima pueritia amari plurimum & hac quoq; educatione aſſuefactum, meminerat. Nemo igitur non ipſum, ſi vixiſſet, ſatis maturè omnibus ampliſſimis animi dotibus cumulatum, non ſolum genti

te eo magis rogo, quoniam tibi educatio liberior contigit, & animi tui impetus sunt acriores. Hi autem facilè iuuenilem ætatem in pericula, sæpe etiam in exitium præcipitant: neque aliter aut certè non rectius compesci, quàm ratione & iis litteris, in quibus tu versaris, possunt. In quam sententiam vberius ad te scriberem, nisi hæc quoque non valde necessaria esse multis nominibus arbitrarer. Præter enim quàm, quod hæc ipsa non penitus non intelligis; habes istic & humanè viuendi illustria exempla, & doctores nobilissimos, vt alia desiderare non debeas. Quod si enim quis conuicerit olim ciues Athenienses è quouis alio, quàm è Socratis moribus & doctrinis, potuisse rectè viuendi rationem melius accipere & plenius; tum consulam, vt alium tibi doctorem, quam senem Victorium quæras. Quem quidem virum, nisi tu vt summè obseruas, ita quoque audies & sequeris; tum si quid aliquando minus tibi è sententia cesserit, id neque cuiquam alii, neque fortunæ, sed tibi ipse imputes necesse est. Verum iterum mihi rogandus es, vt hoc superuacaneum, vt iudico, officium, & hanc te cohortandi, quam mihi sumo, libertatem, non iniquo

animo accipias: meæq; huic ſiue ſtultitiæ ſiue curioſitati, ſiquidem alterutrius me reum agendum exiſtimas, amicè & promptè veniam des. Quidquid enim huius facio, id facio non aliam ob cauſſam, quam quod & tibi & toti veſtræ genti Baſſeuitiæ bene ex animo volo: ſicut & ante dixi & tibi conſtare arbitror: quam egregiam erga vos voluntatem familiaritas & animorum coniunctio, quæ mihi multos iam annos ex ſimilitudine vtriuſq; noſtrum ſtudiorum nata, cum gentili tuo Ioachimo eſt, in me peperit potiſsimum, eum vero animum mutuis officiis facilè tuebimur. Vale. Lipſia VII. Id. Xbr. Anno CIϽ. IϽ. LXVII

JOANNES CASELIVS S. D. *Petro Victorio.*



D XV. Kal. IIXbr. poſtremum ad te domo mea litteras dedi, quarum in extremo; iterum iſtuc ſcribendi commoditatem vix anteKl.Ian. me habiturũ ſignificaui:neq; non multũ circum

cum

cumſpexi, vt hæ iſtuc quàm rectiſsimè & ſine mora venirent: cum, quia hoc multum ad Ioachimum Baſſeuitium noſtrum pertinet, cuius negotia, æque vti mea ſummæ mihi curæ ſunt: tum, quoniam Kalend. Nouemb. hic à te mihi litteræ redditæ ſunt, quas tu dediſti X. Kal. Sextil., ne, ſi ſerius reſponderem, à mea conſuetudine atq; diligentia, debitaq; vobis obſeruantia diſcedere viderer. Quamquam enim de me tale quidpiam ne quidem ſuſpicàturi eſtis: tamen me ipſe, ni in officio ſim, grauiſsimè accuſem, & animi angam. Intelligo autem litterarum aliquid iſtuc perferri: aliquid perire. de earum tamen aliis minus ſollicitus ſum, quod damni nihil fecerimus: duo vero faſciculi, vereor, ne perierint, quos iſtuc ſaluos perlatos omnino velim: priorem miſi Lipſia, cùm ad te ſcriberem prid. Kalend. Ian. in quo erant ad te præter meas, Marchionis Ioachimi Friderici, & Thomæ Hubneri epiſtolæ: quarum neq; tu alicubi, neq; Iacobus filius tuus, neq; Baſſeuitius noſter mentionem facit: alterum Suerino miſi: id erat, ni fallor, menſe Quinctili: in eo erant meæ plurimæ. Scripſeram enim & ad te & ad ſodales iſtic noſtros, quorum conſuetu-

ris tuis aliquam hausi. Nam & ipsam rationem perscrutor, atque in consilium adhibeo, & tuum istud exemplum intueor. A tua enim doctrina & vita discedere, mihi duco turpissimum. Itaque etsi non queo amissi fratris desiderium delere: minuo tamen dolorem aliquantulum. Vtinam vero Ioachimus noster hoc luctu, quem primus ipsi nuncio, dolori quoque non nimis pareat. Scio enim, quàm sanctè ille matrem, honestissimam matronam, à quà tenerè amaretur, coluerit: ea autem superioribus diebus decessit. Ego quid acciderit, narraui: iussi, vt à se & à vobis consolationem peteret: neque non eius animum vos sponte erigetis & confirmabitis: quod tamen te rogare audeo. Valde enim sollicitus sum de incolumitate amicissimi sodalis: & vereor, ne ad superioris morbi reliquias ægritudo quædam animi nimia accedat. cui malo tuis verbis omnem viam obstruxeris: neque vero quisquam apud ipsum plus meliusué poterit: neque is quemquam te promptius audiet. Iacobum filium tuum, vestram familiam, amicos ceteros plurimum saluto, quibuscum benè diuq; vale. Rostochio. Prid. Id. Nouemb. Anno cIↃ. IↃ. LXIIX.

IO-

IOANNES CASELIVS S.D. Joachimo Bassevitio.



Vàm acerba vnicuiq; ſit hominis cariſsimi amiſsio, nemo eſt mortalium, cariſsime Baſſeuiti, quin aliquando, interdum etiam ſæpius, experiatur: & ego in funere optimi atq; eruditiſsimi, & hiſce de cauſis non minus tibi quàm mihi cariſsimi fratris Samuelis, expertus fui: neq; tu ignoras, cum de ipſo incertus rumor iſtuc adferretur, quanta cum animi ægritudine tum fuerim luctatus, quamquam rumorem allatum vanum eſſe, anxiè optauerim. Id tu non ignoras, qui me mœſtum conſolari, pæneq; iacentem animum, & bonis rationibus, & reliqua etiam ſpe erigere ſolitus fueris. Hanc vero etiam dum in itinere ſum, amicus quidam, qui ſibi ipſe id perſuaſerat, aluerat: ſed fruſtra ſuſceptam, fruſtra confirmatam, vt Lipſiam veni, luctuoſiſsimus equidem, ſed veriſsimus nuncius in perpetuum euertit. Tum igitur in ingenti dolore cum eſſem, ad Victorium ſenem præſtantiſsimum, quem de peregrinatione, ceterisq;

terisq; meis rebus certiorem redderem, id quoq; perſcribere non dubitaui. Ipſe vero reſcribens, ſuum quoq; caſum mihi narrauit; vxorem deceſsiſſe, qua cum totos annos quinquaginta vixiſſet: quod tu me antè docueras, quemadmodum hactenus hoc ſcribendi officio diligentiſsimè fungimur: nec ille quidquam præterea. Ait enim, ipſum me videre conditionem mortalium, & quomodo hæc, quæ, reparari non poſſunt, ferenda ſint, intelligere, eaq; ſequi, quæ intelligam. Erubeſco profectò, ea mihi tribui, quibus caream, neq; tantum profeciſſe, vt naturæ neceſsitati ſilentio obtemperem. In hunc enim etiam diem magnopere me deſiderium fratris excruciat. Quo æquior ſum etiam aliis, quibus iuſtam eſſe doloris cauſſam intelligo: neq; mihi ſatiſfacio, niſi amicos oratione mea ſubleuem: maximè ſi recens ſit luctus, cuiuſmodi hic noſter eſt. Eum tibi ego inuitus profectò nuncio, cui multo grauiſsimus futurus ſit: quod tamen facio: neque etiam cælare te pro noſtra animorum coniunctione quidquam debui. Vtinam vero, qui hoc vulnus primus tibi oſtendo, primus medicinam faciam: ſed hanc à te ipſo, à conſtantia animi tui, à lit-

LECTORI SALVTEM.

SVperiores epistolæ anno abhinc duodecimo editæ, eduntur a nobis iterum, non paucis locis emendatiores: nec dubitauimus addere huius generis alia quoque, de quibus ita sentimus, meliora etiam à nobis posse scribi: hæc tamen esse non malæ notæ credimus: profecta vero ab animo optimo, conscii nobis sumus: amante scilicet sincerè amicorum, & cupido salutis publicæ.

IOACHIMO FRIDErico Administratori Archiepiscopatus Magdeburg. Marchioni Brandeburg. S. D. Ioannes Caselius.

NIsi ego semper cognouissem singularem animi tui in me affectionem; obseruare quidem te non desinerem principem præstantissimum, & optimè de me meritum: hanc tamen scribendi consuetudinem relinquerem. Quia vero vidi hacte-

neque æquum ius dicunt, & exhauriunt ciues suos, denique sæpe & sese & ipsam remp. euertunt funditus. Sed te principem bonis litteris institutum & versatum iam in rep. annis pluribus, & ciuili prudentia perfectum, docere hoc & monere fortasse non debeo, collaudare possum; neque tamen admodum sim reprehendendus, si studio tui & amore patriæ, te hoc, quantumuis superuacaneum sit, moneam: præsertim cum mihi persuadeam quidquid huius facio, te optimum principem, sine vlla dubitatione in optimam partem esse accepturum. Vale. Rostochio XIV. Kl. Febr. Anno CIↃ. IↃ. LXXIIX.

HENRICO JVLIO, Designato Episcopo Halberstad. Duci Br. & Lunæb. S. D. Joannes Caselius.




Lucet princeps Henrici Iuli, ex omnibus epistolis tuis studium non solum bonæ doctrinæ sed& humanitatis, quam esse omnium virtutum siue argumentũ, siue ducem existimo, cuiusmodi esse iusti-

tiam ferunt: Verum hæc legibus præcipitur: illa ab heroico animo sponte proficiscuntur, omnem ni fallor, justiciam in se comprehendens, & superans. Cum autem ab singulari humanitate proficiscatur tua in me summa benevolentia, quam collegisti ex aliqua meæ doctrinæ opinione: tum hanc declarat dolor tuus, quem ex meo dolore accepisti vltro vt si fieri possit, illius parte me leuares, & cura mei consolandi, qua neque nihil profecisti. Turpe enim valde putarem meq; indignum, si id quod tu ista ætate rectum esse, rectè videres, non facerem. Ego vero filioli mortem fero humanitus: hoc est, amißione infantuli & lacrymis meorum non nihil moueor: neque tamen non vt alia multa, ita hunc quoque luctum lenio ratione & moderatè ferò. Tibi, quæ mitto grata esse non dubito. Sunt enim profecto etiam eiusmodi, ut te in isto virtutis regiæ & imperatoriæ sapientiæ stadio, quod alacriter jam spectante Germania currere cæpisti, vel ducere, vel confirmare possint, vel perficere. Eius generis sunt Dionis quoq; libri de regno quatuor, quorum interpretationem egregiam à socero meo confectam, mittam proximè: & vnà tibi destinatum à me librum primum Cyri pædiæ: per typogra-
phum

phum sit, vt jam non mittam, quemadmodum facere constitueram. Sed hæc mora, vti spero, non longior erit menstrua, vel etiam breuior. Vale, & aliquem ex heroibus non illis, de quibus fabulæ veterum feruntur, sed hisce tuæ nobilissimæ gentis aliquando nobis factis régiis repræsenta. Rostochio. Kal. Febr. Anno M. D. LXXIIX.

IOACHIMO FRIDERICO Administratori Archiepiscopatus Magdeburg. Marchioni Brandeburg. S. D. Joannes Caselius.



Go igitur teneo pristinam consuetudinem, vt ex intervallo ad te vel aliquid scribam, non abhorrens ab ea dignitate, quam geris, vel mittam etiam aliorum monumenta, quorum lectionem regibus vsui esse sperem. Video namque hoc esse rectissimum. Profecto enim rectissimum est, cum per se: quis enim hoc intelligens reprehédet, vel potius non magnopere

probabit, te ad rectè imperandum veris rationibus excitari, siue in iusto imperio confirmari? tum quia perspexi, hoc meum officium semper accidisse tibi gratissimum, quod ego ad rem pertinere plurimum semper existimaui. Nam neque me æquali, quem minus mei cupidum animaduerterem, offerrem, siquidem stultum esse iudicatur, inuitum amicum facere, aut de nolente bene mereri: nedum ego me tanto principi obtrudam. Tamen, vt hoc ego & parum honestum & me indignum existimo, ita & mihi honorificum & me maximè decere iudico, vt quam olim mihi tuam gratiam honesta via peperi, tuear: (neque inficior, te aliquando, si opus sit, vel mihi, vel meis, præsidio esse posse, quod neque ipsum negligendum est, mihi præsertim, qui tuam liberalitatem expertus antea fuerim.) cum hoc sine molestia tua possim facere; vt cum aliqua vtilitate tua: non ausim dicere, optare possim, sperare non dubitem. Itaque tantisper vtar mea vetere consuetudine, quandiu eam tibi probari suspicabor. Cum his vero litteris ad te mitto Dionis Chrysostomi de regno libros, soceri mei iussu, vt vides, qui eos latinos eleganter fecit. Iam quód de iis, quæ à me profecta essent, non facile roga-


rem

rem, quæso te, princeps optime, vt ex mediis occupationibus tuis eripias aliquid tibi otii, ad Dionem legendum. Ipsum virum sapientiæ & virtutis gratia laudatissimus imperator Traianus in curru regio secum vehere solitus est, vt audiret de imperio disserentem: neque tu te indignum feceris, si tecum hunc librum feras, è quo eadem, quæ ille audiit, siue legas siue audias.. Affirmo tibi, plus ex hac lectione voluptatis capies, quàm ex elegantissima venatione, etsi hoc studium & regibus & omnibus politis viris semper visum fuit iucundissimum: plus etiam vtilitatis. Hoc enim est, quod me non dubitare, paullo ante aiebam. Certè enim lectione & consideratione doctrinæ politicæ, consilia, tamquam epulis saluberrimis, aluntur & corroborantur: quod te non secus sentire existimo. Ipse in rep. Atheniensi versatus, Demetrius Phalereus, cum exul in Ægypto viueret, auctor erat Ptolemæo Soteri, vt libros, qui de regno & gentium gubernatione scripti essent, & pararet & legeret. Aiebat enim, libris ea contineri, de quibus amici reges ne commonefacere quidem auderent. Quod ille vir sapiens, regi potentissimo suasit, ad te quoque pertinere, vltro existimabis, vterisq;

etiam hoc genere consiliariorum quotidie: qui & plenè & liberè, & fideliter te de omnibus erudient, longissimè remoti ab assentatione, auaritia, spe, metu, cuiuscunque generis cupiditatibus, & animi morbis. Quod velim sic existimes à me dictum, non quo iis, quorum consiliis vteris, aliquid derogem: sed potius fidorum hominum augebitur auctoritas, cum illis auscultabis, qui hisce, quæ doctissimi homines nobis reliquerunt, consentanea consulent: quod qui non facient, hos tu princeps prudentissimus in consiliariis minimè habebis. Quod si hoc siue meum, siue Phalerei consilium non aspernaberis, minimè omnium te pœnitebit: quo tamen te antehac vti solitum, mihi penitus persuadeo. Proinde ita meam petitionem accipies, vt rationis tuæ approbationem, meque quidquid huius scribo, ab optimo animo; hoc est, tui obseruantissimo, quando & ita dignus es, & de me meritus, & publicæ felicitatis cupidissimo, profectum esse non dubitabis. Vale. Rostochio Idib. Mart. Anno CIↃ. IↃ. LXXIIX.

OTHO-

OTHONI HENRICO
Duci B. & *Lunæb S, D.*
Joannes Caselius.



Vm ad eos scribimus, quibuscum ante neque àmicitiam coluerimus, neque notitiæ quidquam fuerit, ac potissimum, si iis humiliores nos esse intelligamus; initio facti nostri rationem reddere consueuimus, ac certè hoc modestiæ iura, ni fallor postulant. Sed hoc mihi in procliui est. Dicam enim, carum me esse duci Othoni, patri tuo, principi sapientissimo & humanissimo: dicam non carum solum, sed & familiarem duobus tuis fratribus, qui tibi ætate sunt proximi, quorum natu maiorem & coràm & litteris ad studia doctrinæ cohortari solebam sæpius: alter, vti scis, domi meæ educatur, non sine aliqua etiam cura & vigiliis meis : vt non solum mihi licere ad te scribere, sed hoc quoque pæne officii mei esse alii existiment. Quo vero & ipse minus dubitem, hoc mihi faciendum, caussæ in te sunt potissimæ Colis enim sapientiæ studia, in quibus omnes, te & tuo loco & istis annis dignos progres-

ſus feciſſe nunciant, & me amas, vt mihi Theobaldus oſtendit, homo admodum amans mei, & tuæ vniuerſæ gentis, vt quisquam ſtudioſiſsimus. Sed & hic ipſe hæſitantem nonnihil confirmauit, quod te noſſet à puero, & perſuaſit etiam non admodum reluctanti meas tibi litteras haud ingratas futuras. Itaque ipſo auctore, vel inanes ad te dediſſem litteras: etſi argumenti ad ſcribendum ſatis ſuperque eſt. Nam tibi gratulabor primum, quod ſaluus domũ è florentiſsimis & cultiſsimis regionibus; cum plures annos abfuiſſes, redieris: ſed multo adhuc magis gratulabor, quod non vacuus, vt multi, (neque enim eorum hic mentionem faciam, qui deteriores ſemetipſis reuertuntur) ſed vt pauci, eaque re optimi, optimis atque maximis diſciplinis & regiis moribus atque virtutibus ita auctus egregiè & probe expolitus ad tuos te retuleris, vt habeas in te iam iam ipſe omnia, quibus & celebritatem familiæ regiæ tueri, & ſummos honores adipiſci & gerere, ſiue te ad artes pacis ſiue militiæ ex nobili otio, quod hactenus coluiſti, referas, & præclarè de patria & genere mortalium mereri poſsis. Accipies vero etiam, vt principem decet, ad ſumma quæque & optima contendentem,

poſt

post gratulationem, vt te de vna re atque altera moneam: non quod quæ dicturus sum, ea te fugere existimem, sed, vt quæ & ipse sentias & ex aliis audieris, eadem ratione mea confirmem. Horum prius est, cum ad res gerendas accedas, vt memineris, quorum hominum consuetudinem fugere, quos expetere debeas. Solent enim se ad omnes quidem applicare mali, sed potissimum ad principes pessimi quique & astutissimi, tum qui alios lædant innocentes homines, tum qui cui maximè se gratificaturos pollicentur, eum funditus euertant. Ex multis nominabo tibi sycophantas & adulatores, quod qui ab his sibi cauere didicerit, à ceteris quot quot sunt illius generis, sibi facillimè cauerit. Sycophantæ vero, præterquam quod optimum quemque calumniantur, & quod in ipsis est perdunt; arcent à principum conspectu bonos, è quibus plurimum quotidie proficerent. Scitum enim est, reges consuetudine sapientum reddi sapientiores, hoc est, prudentiores & beneficentiores. Sapientibus enim hoc curæ est, vt ex animis inscitiam & cupiditates, ex vita quidquid est vitiorum, quæ è superioribus, & incommodorum, quæ ex vitiis pullulant, radicitus euellant: à quibus si purgati sint poten-

 tiores

tiores, quiq; clauum reip. tenent, & ipsi beata vita perfruuntur, in hac mortalitate, & quidquid est bonorum cum plurimis mortalium adeoq; vniversis populis communicant. Alterum genus vulpeculæ artibus magis instructum est. Hi enim regibus assentantur, cum illos deos faciunt, & eorum cupiditatibus obsequuntur, & oleum tamquam camino affundunt, & vitia tetra luculentis virtutum nominibus pingunt, quum tyrannidem severitatem, levitatem humanitatem, sordes parsimoniam, luxum hilaritatem, prodigalitatē munificentiā negligentiam & somnum quietem & animi relaxationem, scelerate interpretantur. Quæ venena vbi animis potentiorum, qui forte & natura, & institutione, & animo, boni erant, instillauerint; ipsi perditi, & eos perdunt & rempublicam vna. Quod cum & aliis evenerit omnium ætatum regionibus quamplurimis, & ipsi orbis domitori Alexandro, bene nato, bene educato, bene denique erudito; hoc magis tibi cauendum ab vtrisq; existimes, & multo majore cum cura, quàm jussus fuit Vlysses nauem suam rectè è Scylla & Charybdi per medios fluctus dirigere. Est enim profecto tempestas perpetua vitæ mortalium, cui gubernator omni

mnium præfecit tamquam naui gubernatricem rationem, quam excutiunt & interni, qui constringẽdi sunt, & externi hostes, qui profligandi validius, quàm Scytæ, aut vlla barbarorum immanitas: concilianda animis nostris tranquillitas, intelligentia, consilium, arcessenda & præsidia amicorum: sapiẽtes principiò, quos cum dico, non vulgari more me loqui putabis, sed hoc intelligo, non qui recondita naturæ perscrutantur, etsi cælestem velut in terris vitam sibimet illi degunt, neque qui se simulant scire multa vel omnia, neque quidquam sciunt; atque si qua sciunt, ijs in vita non vtuntur; sed viros bonos, cujusmodi ex aulis fere exulant hodie; ita vero bonos, non qui nemini noceant, sed & optima faciant, & qui huic rei studeant, hos adjuvent, cuiusmodi ex avaris & ambitiosis judicabis esse neminem. A quibus hæc vitia, virtuti veræ & publico commodo è diametro adversantia & capitalia abesse senties; de ijs bene opinandi caussæ esse plurimum arbitrabimur. Alterum præsidiorum est, quo te jam præclarè instructum esse existimo, bonæ doctrinæ copia, quam potissimum ipsa philosophia profitetur, quæ à comitatu suo non abigit neq;
poetas

poetas neque oratores neque historicos, neque quidquid est elegantiũ vitæq; bene beateqùe degendæ inseruientiũ scriptorum. In his ut plurimum profeceris; non tamen neque statim, neque umquam de manibus deponendos existimabis. Non minus enim quàm corpus alimentis; & animus epulis sapientiæ conseruatur: illud ad labores tolerandos, hic ad præclara facta designanda, quibus consulitur societati hominum. Nisi putarem te à libris longius digredi non posse, (vix enim fieri potest, vt possit, qui eorum vel potius scientiæ suauitatem, veluti deorum immortalium ambrosiam, degustarit) agerem tecum pluribus, teq; & rationibus erudirem & exemplis confirmarem, ostéderemq; tibi non solum Archytam, Pythagoram, alios, qui cum imperarent, tum philosophari se præ se ferebant, sed & Alexandrum principem poetarum in deliciis habentem, Xenophontem eâdem manu & fortiter cum hostibus dimicantem, & divina vitæ præcepta posteritati prodentem, Scipionem Cyri-pędia vtentem non minus, quàm viatico. Sed fretus bonitate naturæ tuæ, & profectu egregio, quem in regiis te litteris (facessat enim quæ eruditio perquam indocta in vulgus celebrabatur) fecisse au-

ſe audio, non agam tecum pluribus in præſentia: meminiſſe te jubebo, & quibus hominibus vtaris familiariter, quod cuiuſmodi hi futuri ſint, talem eſſe te quoque neceſſe eſt, hoc eſt ſi boni, bonum, bonaq; impertientem aliis: diuerſum enim ominari nolim: & quàm litteræ tibi colendæ ſerio ſint etiam, & in perpetuum nouo forte exemplo, vel raro, ſed diuino etiam euentu. Quod ſi intelligam te hæc animo eiuſmodi legiſſe, quo ego meditata ſcripſi: crebrius aliquid depromam ex diuite Muſarum penu, quod & voluptati tibi ſit citra omnium reprehenſiónem, & vſui cum approbatione omnium. Vale, meq; in tuis habe: quod haud dubiè facies, ſi credes, in quo minimè fallêris, me tua cauſa hæc adte ſcripſiſſe, cuius laudi & felicitati & tua & tuæ regiæ gentis & publicæ vtilitatis nomine mirificè faueo.

Roſtochio. non. Iun. Anno M. D. LXXIIX.


GVIL-

moneam, vt initio habeas valetudinis tuæ rationem, quam conſeruaſti apud nos domi meæ hactenus pulcrè: vt perpetuo ſerues Deum quæſo: alterum eſt; vt te ipſum in hoc ſtadio vinças, nullius exſpectans, cohortationem ſapientiſſimi patris tui diligentia anteuertens; quod omnino conſequeris, ſi non ſolum in ſtudiis ſis, cum in iis te eſſe omnes vident, ſed etiam aliquid eruditum atque elegans cogites, & quando ſolus es, ſic autem minimè ſolus eris, neque requires quibuſcumque tempus fallas, & quando cum aliis tibi res eſt ſeria vel ludus etiam, atque ita ſolus quoque eris, cum maximè apud te ſis. Sed verborum iam nihil amplius faciam, ac potius altero menſe reuertens, & firma valetudine, & eum in litteris, quem reliqui abiens vel multo meliorem, videbo. Creſcit enim virtus quotidie, neque poteſt in æquo loco çonſiſtere prius, quam in apicem aſcenderit: quod in tuam ætatem nondum cadit, ac forte ne quidem in hominem, ſi Soloni credimus, homini ſapientiſſimo, qui ſeſe etiam caneſcentem ſemper multa ſcripſit addiſcere: id quod nullius adhuc eſt perfectionis. Finem igitur faciam huius epiſtolæ: ſed ſcire voles, quid in

man-

mandatis tuis egerim; ne dubites hic etiam reperi, quæ tibi grata & ex vſu tuo futura exiſtimem: Inueniam plura alibi. Vale Alba ſeptemuirali. Pridie non. Quinctil. Anno CIƆ.IƆ.LXXIIX.


SIGISMVNDO AVgusto Duci Megap. S. D. Joannes Caſelius.


Fficii mei erat, vt cum ita proximè à te abeſſem, ipſe tui ſalutandi cauſſa & obſeruandi accederem: quod profectò feciſſem, ſi tam propè te eſſe, vt hic audio, Vitebergæ audiuiſſem: nunc comites non ſinunt. Secundum eſt, quod pæne etiam mihi tempus adimit, vt ad te ſcribam; quod ſine ſcelere nequeo prætermittere: cum & ſim hodie apud principem Ioannem fratrem tuum, & ipſe te his diebus viſurus eſſet, proficiſcens venandi gratia ad Electorem Saxoniæ, Auguſtum. Cum autem argumentorum ad te ſcribendi mihi copia ſuppeditet; iam omnia illa negligam inuitus ſanè, quod vt oſtendi excludor tempore.

Neq;

Neque tamen quamprimum ad te ſcribam vberius, & loquar tecum vel de ſtudiis litterarum, quæ hac ætate tua colis, vel de officio principis, quod paulo poſt tibi tuendum erit. Tamen, ne inanis eſſet epiſtola, mitto iam ad te exemplum meæ primi Cyripædiæ interpretationis: quem librum ſi leges diligenter, non parum proficies. Itaque te ad eius lectionem inuito, & ſimilium librorum, de quibus audis ſine dubitatione &; ſequeris iudicia doctiſsimorum hominum, qui te tuosque æquales erudiunt, & ad rectè viuendum & rectè imperandum ſedulo educant. Vale. Lipſiæ. VI. Id. Quinct. Anno CIↃ. IↃ. LXXIIX.

CAROLO PALATINO *Rheni Duci Bauariæ S. D.* *Ioannes Caſelius.*




IAm ab aliquot annis cognoui ex multis præclarũ ſtudium, quod in bonis litteris & iis maximè, quas regias appellare ſoleo, quoniam regum principumque animos ad rectè viuendum, & rectè imperandum

randum informant, collocares. Gratulabar igitur tacitè tibi, & populis, quos aliquando reges. Nam cum vnicuique hominum ex animo, vti bonum virum decet, bene velim; tum remp. cupio esse beatissimam, quod quæ communia sunt bona, redundant etiam in singulos: quemadmodum naui vento secundo acta, vna nauigantium gaudet quilibet. Sed ex omnibus, qui de re mecum vel in sermonibus, vel etiam per litteras egerunt, nemo me plenius docuit, quàm amicus meus Ioachimus Basseuitius. Ostendit enim mihi, te hac ætate eò esse progressum, quo pauci tui ordinis vmquam perueniant: neque posse tibi iam esse quidquam obscurum in litteris, quo constitueris penetrare. Cum id mihi ostenderet pluribus, quàm hic referam vitandæ assentationis gratia; magis me inflammauit ad te diligendum. Quod cum ille animaduerteret, egoque ad æqualem tuum principem Sigismundum scriberem, non solum me monuit, sed pæne coegit, vt ad te simul aliquid litterarum conficerem: in quo tandem cessi homini, cum si quid hic peccaretur, omnem culpam se facile sustinere & posse & velle diceret. Itaque hæc scripsi pæne nullo argumento, nisi pateris, vt te collau-

collaudem in hoc tuo curriculo, quod permodeſtè mihi faciendum intelligo, & ardentem veræ laudis cupiditate incendam magis quod minimè opus eſt. Sed, quod tute ſcis, ſic eſt in conſuetudine poſitum, vt optimum quemque collaudemus, & qui huiuſmodi ſint, magis incitemus. Perſequere igitur id inſtitutum, princeps Carole, & adoleſcens cognoſſe ſapientiam: quod profectò facis, qui in bonis ſcriptoribus rectè intelligendis multum ſtudii & laboris ponis. Atque hoc eſt operæ precium, neque in procliui. Crede enim mihi, vt plerique optimatum & regum ſermones omni attentione auditos, non ſatis intelligũt: ita multo pauciores ſapientum doctrinas accipiunt, etiamſi ipſorum libros videantur ſedulo euoluere: atq; hoc ita arduum cenſuit quidam olim homo doctiſsimus, vt eo nomine Traianum optimũ imperatorem laudare non dubitauerit. Neq; mihi dubium eſt, quin intelligentia ampliſsimarum & optimarum doctrinarum, animi noſtri decretum mirificè corroboret, vnde omnia deinceps præclara facinora & merita erga mortales prodeunt. Facies igitur hoc ſedulo, quod facis, & quæ ſcripſi, ab animo tui perquam ſtudioſe fluxiſſe, tibi perſuadebis: quod & teſta-

bitur, qui huius mihi ſcriptionis auctor exſtitit, animi mei teſtis locuples. Vale. Halibus Saxonicis. V. Id. Vctilis. Anno C I Ɔ. I Ɔ. LXXIIX.

OTHONI HENRICO
Duci Br. & Lunæb. S. D.
Joannes Caſelius.


VM domo abeſſem menſe Quinctili, allatus eſt iſtinc faſciculus, in quo erant & illuſtriſſimi patris tui, & tuæ ad me litteræ: ex tuis vidi quas ad te dediſſem, tibi redditas & gratas fuiſſe, perinde vt mihi de humaniſsimo tuo ingenio fueram pollicitus. Hoc igitur eſt, quod gaudeam: ſed alterum multo magis lætor, cognouiſſe iam me certo, eſſe te eum, qui mihi à pluribus, qui tecum paſsim gentium vixiſſent, fueras prædicatus. Ijs quidem vt debui, credidi, & præſtantibus hominibus, & idem velut vno ore prædicantibus: ſed vt ſi tabulam Apellis ipſe videas, pleniſſimam ex eius contemplatione voluptatem capias, ita cum te in litteris, quaſi coràm vide-

viderim, plus accepi lætitiæ ex te, quam anteà, & pluris te facere incepi: forte etiam hac de caussâ, quod meam epistolam probasses, & me etiam diligere videreris. Sed hoc vt sit aliquid, minus profecto est, quàm in ipsis litteris, quæ non solum purè loquuntur, quæ aliqua & rara laus est apud homines eruditos, sed quia, quæ summa apud principes, sapienter. Ostendis enim, non solum te amplecti, quæ scripserim, optimo in te, vt quoque accepisse te video, studio, sed & hactenus fuisse secutum, & secuturum perpetuò: qua constantia mirum quantopere hominibus opus est, maximè isti ætati, qua erat & Hercules, cum apud se, vt sapientes prodiderunt, siue vere siue nostri erudiendi gratia, vtro se verteret, deliberaret. Cum vero tu optimam viam ingressus modo sis, facilius tibi erit: neque nobis caussæ quídquam est de heroica natura tua aliter suspicandi. Licet autem fit per se facile, vt nunc tibi largior: tamen foris tot sese obiiciunt difficultates, quot tibi proximè ostendi, vt merito tenendum sit vtraque manu; & omni ætate vnicuique nostrum maxima diligentia sequendum illud cautissimi poëtæ, qui vtilia quàm plurima educationi & vitæ mortalium scripsisse proditur à veteri-

bus, Epicharmi inquam, verbum: νᾶφε quod profecto olim quoque celebratum fuit à multis acerrimis viuendi censoribus. Quod cum & tu facies, cætera erunt facillima, vti dixi: præsertim quando in aulam sobriam te humanissimi archiducis confers. Hæc laus, crede mihi, maior est, quàm aut genus, quo natus est in orbe Christiano, nobilissimo, aut potentia, qua gens Austriaca hodie nulli omnium cedit. Sed is quod te diligere cæpit, id quoque magnum signũ est tuæ probitatis, & morum regiorum elegantiæ. Perge igitur, princeps Otho Henrice, hoc agere, quod agis: & iace fundamenta felicitatis tuæ, vel potius, quia hæc præclarè iam iacta sunt, perge quod instituisti, opus perficere, consequere veris rationibus amplissimas dignitates, & immortalem gloriam. Habes in eodem curriculo & fratres tuos, quos tuo exemplo meliores quotidie fieri; non hæc minima tibi laus est: quos vt nunc præcedis, ita non desines vmquam laborare, vt te perpetuo sequantur; vt assequantur, neque tu committere debes, neque tamen non id illi, in certamine honestissimo, conari. Venit & consanguinei tui in mentem principis Henrici Iulij, qui hac pueritia, (est enim æqualis fratris tui princi-

principis Gulielmi, paucis mensibus, vt credo, maior) incredibilem sui exspectationem commouet. Nam, quod putatur esse principium eruditionis adipiscendæ, atque equidem est primus ad eam hac ætate gradus, Latinè & scribit benè & loquitur expeditè, intelligit satis: nihil est eo elegantius, nihil humanius. Ad laudem bellicam, quod hanc quoque doctrinæ hodie adiungitis, facitis dignum summis principibus; quod cum te intelligere sciam, finem faciam: vestræ vero familiæ hanc quoque dignitatem sapientiæ, vt spero, plenius aliquando gratulabor. Vale. Rostochio XIII. Kl. Sept. Anno CIϽ. IϽ. LXXIIX.

JOANNES CASELIVS S. D. Thomæ Viccio.



Vo ego te magis amo, mi Thoma: cum autem adolescens hic olim mihi fueris carissimus, nunc es profecto multo carior, quando possides ea animi bona, quorum incredibili desiderio tum flagrabas, quod è perpetuo studio, cum aliis, quibuscum eras, tum mihi, quia nemine vte-

baris familiarius, apparebat. Quo igitur te magis amo; hoc grauius vulnus accepi ex binis litteris Theobaldi, quibus tuam valetudinem valde tentari & vehementer affligi nunciat. Quod si periculum nullum esset, tamen te corpore cruciari, tuasque honestissimas cogitationes & actiones retardari, ægrè ferrem. Significo autem tibi dolorem hunc meũ, non vt tuũ augeam, sed vt de tuo in me deriuem aliquid: aut si hoc non queo, patere, vt nonnihil eum leniam. Si enim animum colliges, saltem non augebis labores corporis. *Sæpe* animaduersum est, animi morbo corpus etiam concidisse, vt illius firmitudine non parum hoc quoq; fulciri credibile sit. Præter autem animi tui æquitatem, quæ digna est homine, præsertim semper in litteris versato, spem nobis facit & natura tua, quæ mihi imbecilla numquam visa fuit, & iuuentus, quæ eluctari ex grauissimis etiam morbis, vt plurimum solet. Libenter item cognoui, te & consulere præstantissimum quemque medicum, & ipsi dicto audientem esse. Videor mihi te videre, vt prostratus iacebam anno abhinc XIII. Bononiæ: perieram equidem, sed emersi deo volente, non iam naturæ bonitate, sed semestri cura medica. Vtinam simi-
lem

lem in modum te aliquando emersum videam, quem jampridem auebam videre: videam vero non solum firma valetudine, sed etiam honoribus florentem & opibus. Bonorum enim, quæ hominibus obuenire possunt, nihil est, quo te non esse dignum judicem. Auguror autem vtrumque futurum: tu modo animum obfirma, quo citius valetudinem te feliciter recuperasse gaudere, & tibi gratulari possimus. Vale. Rostochio. IV. non. Octob. Anno M. D. LXXIIX.

IOANNES CASELIVS S. D. Gregorio Bersmanno.



EGO te, Bersmanne, simili laudationis sagitta non referiam: vt vtar sublimi verbo lyrici, rei magis accommodato, quàm epistolæ: neque tamen reprehendo, quod fecisti, cum idem fortassis ipse antè fecerim: quin credo rectè & ordine à nobis factum esse. Cum enim quanti te facerem, quibusque de causis ostendi, nihil aliud secutus sum, quàm vt tibi meas tui amandi causas exponerem, teq; ad me amandum eadem via inuitarem. Iam gau-

deo partim ſermonibus noſtris, partim miſſione litterarum ea eſſe jacta fundamenta coniunctionis animorum inter nos, quam perpetuam futuram auguror, vel potius certo ſcio, quoniam leviter inſtituta non eſt. Forte perfectam amicitiam colere minus poterimus, quando propter intercapedinem locorum, quibus diſiungimur, officia probare alter alteri non poſſumus, neq; mutua conſuetudine frui: niſi forte exiſtimas, à qua ſententia neque ipſe multum abhorreo, huic incommodo præſentem medicinam eſſe, hoſce, quos per litteras habere nobis ex intervallo ſermones licet, atque ipſos referre quandam quotidianorum congreſſuum imaginem: quam rem neque ab officio ſeparatam eſſe arbitrabimur. Rectè autem, ni fallor, hoc mihi in mentem venit. Cum enim, proh pudor, contra humanitatis leges inimicitias exerceri, & officium violari iniuſtenè dicam an impiè? à certo hominum generè indoctis & inſanis ſcriptionibus hodie videamus; quid dubitemus beneficio litterarum, amicitiam pulchrè coli, multa, quæ officij ſunt, egregiè præſtari? Nos igitur ſiue eam ipſam, ſiue eius umbram non negligemus, & magnum eſſe decus arbitrabimur in hominum eruditorum

concor-

concordia, quam qui non tuerentur, & litteratos tamē se haberi vellent, optaui sæpe, vt tam honesto nomine carerent, quod ipsis nulla ratione debetur, ne essent ordini nostro dedecori: sed iccirco scilicet potissimum contendunt, ut tyrannide honestisimum locum occupent atque doctrinæ & virtutis veluti arcem vi teneant. Sed à nobis euagor longius. Mitto ad te meum de ludo litterario librum: de quo, quod vulgi sit futurum judicium, parum equidem sum sollicitus: hoc enim meo consilio vti jubebo: patior, vt iudicent docti, neque eos in quibusdam à me dissentire iniquo animo feram: quin si quis quid melius ostendet, ei & publico nomine & meo gratiā habebo. Bassenitium nostrum, tui amantissimum, & in vniuersum optimarum partium hominem, à Kal. Ian. non vidi: de versibus honori suo factis, veri honoris numquam negligens, ipse gratias aget. Vale. Rostochio V. Kal. April. Anno M. D. LXXIX.

JOAN-

JOANNES CASELIUS S. D. Iusto Lipsio

PEr eam valetudinem, qua nunc ſum, cum, vt volebam, ad te minus poſſem ſcribere, idcirco hac ſcriptione ſuperſediſſem modo, niſi me denuo excitaſſet Ptolomæus Gryphius. Affirmabat enim litteras à me, vel breuiſſimas, vel ἑώλους tibi fore gratas, viro non minus ſumma humanitate prædito, quam recondita & copioſa doctrina inſtructo: neque mihi non de vtroque conſtabat. Satis enim id loquuntur monumenta ingenii tui, quàm totus ſis in ſtudiis ſapientiæ: neque conſentaneum eſt, horrido animo & alienis moribus eſſe, qui iis perpetuo occupetur. Itaque hæc ſcripſi, non magis iubenti amico, quàm voluntati meæ obſequens. Nihil enim in omnibus rebus mortalium mihi magis cordi eſt, quám cum viris doctis, iiſque virtute præſtantibus, qui & apud nos & paſsim gentium viuant, amicitiam aut aliquam huius ſimilitudinem colere. Eſt enim, ni fallor, valde affinis amicitiæ, mutua inter bonos beneuolentia, vtrinque non ignota declara-

clarata vel oratione aliorum; vel per epiſtolam; quod ſi fiat ſæpius, quaſi conſuetudine magis coaleſcunt animi iucunda: ſi contingat requiri officium; & id præſtetur καθ᾽δύναμιν. Sed de te apud me dixit ille communis amicus noſter: dicat idem apud te de me: quod vt faceret, rogaui etiam antè, quàm exarare hoc litterarum conſtitueram. Vale. Roſtochio. III. Kal. Maias Anno CIↃ. IↃ. LXXIX.

JOANNES CASELIVS S. D. Joachimo Tonaglo.

SVaues à te litteras expectabam: ita ſolent eſſe tuę omnes: eccum vero ſtomachum pro epiſtola: in aliena etiam re? quod τὸν δεῖα valere iubes; hic culpa prorſus vacat: non aliter iuſſus erat, & ipſius intererat. Iam ſi vacabis, ſcribes ſtylo veteri, & nouas gratias aſperges litteris. Sed potius, quàm tacere te velim, quouis generis ſermonis vtere: quæ à te proficiſcentur aſperà, habebo in mollibus: non ſunt enim aculei tui graues, & ego iacula excepero. Depromam enim ex armario poëtæ, vel Aiacis vel Achillis

lis clypeum: & referire didici, etiamsi non torqueam πηλιάδα μελίην. Vtrumque εὐτραπέλου esse didicimus, è cuius artificio sumpsi hoc qualecunq; est salium. Sed coràm iòcabimur liberius breui: videbo te, vbi in istam viciniam præsul Lubecensis venerit. Vale. Rostochio. XIII. Kal. Quinctil. Anno M. D. LXXIX.

EBERHARDO PRÆsuli Lubecensi, designato Verdensi, Abbati Lunæburgensi. S. D. Ioannes Caselius.

FEci præter consuetudinem, præsul Eberharde, &, si quis rem non metiatur æquitate, præter officium, qui accepto à te & coràm & litteris mandato, tot mensibus nihil ipse scripserim. Neque tamen metuo, ne mihi succenseas, cum de negotio semper cognoueris, & fortassis inaudieris, me non optima interea valetudine fuisse. Nam occupationes & mearũ rerũ procurationes, huic silentio prætexere non debeo: neque certè mihi quidquam antiquius esset, quàm quæ in mandatis à te haberem, statim exsequi. Quamquam autem res ducta est

est in ver vsque vltimum: tamen existimo ita responsum esse à senatu, vt plenissimè tibi satisfactum, & petitioni tuæ locus datus sit. Epistolam illam sine mea misi, vt hoc citius, cum esset, qui subito perferret, ad manus tuas primum, deinde eius, cuius plurimum interesset, quemq; diu suspensum tenuissemus, perveniret. Prudenter, ni fallor, in ceteris mentio facta; & tui in hanc ciuitatem beneficii veteris, & grati reipublicæ in te animi perpetui. Fecisti profecto illo tempore necessario huius oppidi, viro dignum sapientissimo & optimo principe, qui consulueris publico otio & libertati ciuium. Secus fieri videmus à potentioribus non paucis, qui sic tranquillitati consulunt, ut plurimos dura seruitute premant; qui profecto in summo sunt errore animi, cum regium esse, potius mancipiis imperare, quàm hominibus paternè præesse liberis, existiment. Dignum facit & senatus amplissimo ordine, qui & re & literis testetur tibi gratum animum, non solum, ut tuam in se benevolentiam augeant, sed etiam concilient & tuã aliis & aliorum sibi. Bene agatur cum Germania, si vniuersi principes eo animo sint, quo te esse res indicat, & vniuersæ etiam ciuitates, quo hodie nostra, malo quidem e-

docta

docta, edocta tamen. Hoc enim saluti ciuium in posterum conferet, cum securitas & vrbes sæpe & aliquando regna euerterit. Sed quid hæc ego multis? cum non solum præclarè omnia intelligas, ab ipsa sapientia enutritus, non minus quàm principes Græciæ à Chirone, & corroboratus animo ab ipso vsu, qui plurimos annos clauum ipse reip. tenueris, sed etiam & tuis populis prospicias quàm potes felicitatem, & aliis optimo consilio deesse numquam soleas. Itaque te non solum tui boniq; omnes in oculis ferent, quod tibi esse in vita isto amplissimo splendore jucundius non dubito, & posteri te cum heroibus illis priscis celebrabunt. Vindicabunt enim ab interitu nomen tuum, & virtus summa tua & monumenta historiæ. Vale.

Rostochio. pridie Kal. Quinctil. Anno M. D. LXXIX.

JOAN-


IOANNI FRIDERICO Duci B. & Lunab. S. D. Ioannes Caselius.

EOdem nuncio accepi, te & ex Gallia domum rediisse, & proficisci ad Proprimatem Germaniæ, apud quem viuas. Quare vnis quoque tibi litteris gratulabor, & incolumem ad tuos reditum, & nouam profectionem, etsi nunc proprius à nobis absfuturus es. Tu vero, cum domum rediisti, rediit & frater tuus domum, qui apud me annos quatuor in studiis litterarum vixerat. Eum videris non aspernandos profectus fecisse. Sane hic ita omnes iudicauimus: neque quisquam fuit, quin ipsius auream indolem exoscularetur, animumque & mores vnicè probaret: atque equidem, si mihi aliquid de domestico meo, pæneque alumno disciplinæ meæ licet pronunciare, quod vel eô licere arbitror, quia ita est, quod scribo: κρέσσονα μὲν ἁλικίας νόον φέρβεται, γλῶσσάν τε, vt de Arcesilao canit lyricus, Pythionica quidem tum, sed eodem tamen etiam Cyrenæ principe. Te quoque cumulatum etiam ingenii bonis, rediisse

oportet, cum ſis fratre annis maior: neque mihi dubium eſt, qui & deprehenderim in te amorem erga litteras, & nouerim doctrinam & fidem egregii iuuenis, quem tibi viæ ſtudiorumq́; comitem adiunxeras. Poſtquam vero non Raſcius ſolum idem oſtendit, ſed & alii de te prædicant: habeo cauſſæ plurimum, cur tibi gratuler. Vnum mihi perquam moleſtum fuit cognitu, quod grauiter ex aduerſa valetudine & nimis diu decubuiſſes: etſi non nimium dolere debeo, cum illud mali diuinitus, ope medica, & naturæ bonitate propulſatum à te, ſimul acceperim. Hoc igitur nomine tibi gratulor, ſed magis altero, quòd animi virtutes virtutibus anteſtant corporis: vel, cum non hoc, ſed ille homo eſſe iudicetur à ſapientiſsimis: quod ipſum & tu præclarè intelligis, animum ad res gerendas corpore, vt inſtrumentis, vti, vt hoc etiam nomine, neque huius cura abiicienda ſit; animi vero ſuſcipienda & retinenda in perpetuum. Cum vero litteris ab ineunte ætate animum, hoc eſt, te ipſum expolijueris; iam iuuenis idem ſtudium, nemine etiam monente, perſequêris: neque tamen non libenter audies meam quoque non ſolum approbationem, ſed etiã cohortationem, profectum à veteri meo in

te animo, tibi olim satis perspecto. Fuge igitur nunc quàm maximè ignauum otium, & voluptates, quæcumque à virtute nos & sapientia auocant: laboribus vero te dede maximè, neque patere tibi vnum diem elabi, quin aliquid homine dignum legas vel audias, dignum principe facias. In quam sententiam, nisi tibi molestum erit, per litteras posthac sæpius tecum colloquar: fortassis aliquando etiam coram. Habeo enim in animo optimum & humanissimum principem, Ioachimum Fridericum, cuius singularia in me exstant beneficia, salutatum istuc venire, qua prima occasione potero: quem sciam superiore anno de meo aduentu aliquoties fuisse sciscitatum: ad eum soleo ex interuallo etiam litteras dare, quod neque nunc negligerem; si vel interpellandum censerem, vel ad scribendum singulare nactus essem argumentum. Interea quæso ipsi me tu quoq; commenda. Futurum enim est, vt me, quem iampridem in caris habet, tuo nomine habeat cariorē: vt te meo habeat, opto: sed in tam sublimi gratia me apud principes non colloco: apud bonos & sapientes esse, optabile est; apud alios neq; velim, neq; fieri posset. Vale. Rostochio V. Kal. Sextil. Anno, CIↃ.IↃ. LXXIX.

HENRICO JVLIO EP. Halberst. Duci Brun. & Lunæb. S. D. Joannes Caselius.


Onstitueram tecum esse sæpius, & quia cupiebã ipse, & quia ita tibi placere intelligebam, si mihi integrum fuisset. Sed secus visum fuit hic duci nostro Vlrico, quô improbante, migrare non potui. Quod si istuc venissem, non solum sæpe tecum communicassem, accepta à summis philosophis, quæ te multis modis vel erudiissent, vel confirmassent, sed etiam spectator fuissem sedulus tui in rep. præclari tirocinii. Cognoui namque tum ex aliis, tum ex Ioanne Borcholdo, teste locupletissimo: te, vt primum accessisti ad remp., iam hac tua adolescentia, non vulgi voluptatibus, vt fortunatorum hominum & regum filii plerunq; solent, sed laboribus vltro dedere, & iis litteris, quibus ab ineunte ætate de sapientissimi patris iudicio, rectè & sedulo imbutus fuisti, vti cæpisse. Ipsum namque te sedentem in puppi, clauo manum admouere, quotidie audire, numquam abesse à disceptationi-

tionibus causarum, ex æquo & bono iudicate, quod intelligas, adhibere tamen etiam ad negotia præstantes viros, quorum te & sapientia erudiat, & fulciat auctoritas. Præclara omnia: vt quid ex his primo loco laudem, non videam: hoc videre mihi videor, eo spectare tua omnia, vt vmquam male de nemine, de tuis vero populis semper bené merearis, & quoscunque potes beneficiis ornes. Intelligis præclarè te opes esse nactum, non ad premendum quemquam mortalium, sed ad benefaciendum plurimis. Hoc namque (quod ipse quoque statuis) verè regium est & humanitatis plenum; illud tyrannicum & barbarum, longeque remotum ab iis disciplinis, quas tu numquam spreueris, remotissimum vero à Christiano nomine. Hoc enim nos multo magis ad mutua officia excitare debet, quam olim Græcos homines cultissimæ orbis vniuersi Athenæ. Cum igitur tale fundamentum iacias, quod obtestor te, vt facere non desistas; reliqua & facilia & felicia futura dubitare non possumus. Sed cauendum tibi est, ne, quod in aulis fieri consueuit, diuersi doctores se in animum tuum insinuent, qui à laboribus te ad voluptates, à recto ad cupiditates, lenociniis ver-

borum & assentationibus auertant. Contra audies, quos te audire intellexi, & præter eos, cognosces, idque quoad viues, monumenta sapientum. Falso enim quidam putant, primoribus labris degustandas regibus litteras, quæ foret vmbra rei, neque nisi inutilis & vana ostentatio: contra autem, quam diu dignitatem suam tueri cogitent (hoc autem omni vita velle debent) & historiæ ipsis sunt cognoscendæ, & doctrinæ regiæ. Hanc etiam necessitatem priscis illis seculis Ægypti regibus impositam fuisse accepimus: quod tu sponte facies, vti facis hactenus: neque desines facere, cum quotidie magis magisque rei incredibilem suauitatem & vtilitatem immensam intelligas. In tuo hoc instituto, si quid te iuui, quod me fecisse aliquot iam annis puto, gaudeo: consilium meum, quod præsertim iussus suscepi, persequor: neque dubito, quin id probes, quod rogo, vt facias: facere certo credam, si te hoc genere scriptorum delectari magnopere porro semper audiam, vti semper audiui antea. Vale.

Rostochio, nonis Sept. Anno CIƆ. IƆ. LXXIX.

GVLI-

GVLIELMO DVCI

Brunsuig. & Lunab. S. D.
Ioannes Caselius.



Vantum apud nos, Gulielme princeps, tui desiderium reliqueris, sæpe ad te, etiam statim, vt vix pedem domo mea abiens extuleras, volui perscribere: idque tui solum desiderio illo, vel amore, quo te fui complexus. Quia enim nobis carus es, propterea te desideramus: ne existimes hoc vtilitatis meæ, aut honoris gratia fieri: quamquam de honore non penitus negauerim. Fuisti enim etiam singulari ornamento & mihi & ædibus meis, quod aliquando apud optimum parentem de te prædicare non dubitaui. Quid autem studium scribendi meum euerterit; partim suspicatus fueris, partim ex aliis audieris. Ex meis enim litteris tibi Ioan. Ducatus narrauerit, quàm incommoda valetudine toto vere vsus fuerim: obstitisse quoque occupationes cogitabis, qui meam in scribendo diligentiam videris, quamdiu mecum vixisti. Quod autem huic breui epistolæ tempus tribuam; id quoque ex mediis occupationibus

ſurripio. Neque enim diutius, vel tē deſiderare meas litteras, vel me in officio negligentiorem videri patiar. Cur autem te deſideremus, tibi ſine ſuſpicione adulationis aperiam. Cum enim potentiſsimis regibus aſſentari non ſoleam, quod neque id homine libero, nedum litteris exculto dignum, neque omnino honeſtum eſſe iudicem; cur ſecus atque ſentiam, ad te, quicum mihi ſumma fuerit familiaritas, ſcribam? Mallem equidem te, ſi res ita poſtularet, offendere, quàm aliquid auribus tuis dare: neque non illud tum tibi vtile foret, hoc omni tempore peſtilens. Quæ enim maior poſſit adoleſcentiæ peſtis inveniri, veſtræ præſertim, quàm adulatio? quæ vitia ſerit & alit, virtutis ſurculos infringit, & eius radices evellit. Nos certè ex te præſente non paruas voluptates cæpimus, id eſt, ex morum tuorum elegantia & grauitate, è ſermonibus lepidis & ſale ingenij conditis, ex animo humanitatem ſpirante & modeſtiam? ego vero, quique interiore tua conſuetudine vtebámur, è profectu litterarum, quem non pollicebatur tua ætas adhuc tenella, & earundem incredibili rectoq; ſtudio. Quid enim potius imbibat potentiſſimi regis filius, quàm præcepta rectæ vitæ

&

& iusti imperij? quod potius cognoscat, quám historias temporum, & quæcunque non solum à philosophis, sed etiam à poëtis ad benè beateq; viuendum magna cura inuenta, & diuinitus explicata sunt? ad quod genus sermonis se adsuefaciat potius, quàm quod manat è sapientiæ lympidissimis riuulis? Quorum tui ordinis educatio secus instituitur; (quorum namque pueritia prorsus negligitur, de iis mentionem facere apud te non debeo) eos non secundum veram rationem, sed ϛλυγίςωϛ educari Aristoteles, ille sapientiæ fons vberrimus, ad alumnum suum Alexandrum scripsit: vt mentes etiam ipsorum ita deprauentur, vt de vita communi & ratione imperii nihil penitus rectè sentiant. Nos vero te vidimus, inquinatos & barbariei rerum verborumque refertos libros, cuiusmodi in vulgus hodie in precio sunt, numquam in manibus habere, sed à quibus te initio auctoritate nostra auertissemus, eos spernere & auersari: habere autem in manibus quotidie optimi illius & doctissimi Romani seculi scriptores nobilissimos, qui cum & sapere didicissent, lectissima quoque dictione monumenta, ingenii expoliuerunt: eodem te orationis filo, maximè si quid scribas vri

vidimus: vidimus te auidè cognoſcere, quæ poſſes ex vltima antiquitate, vtque in ea nihil te fugeret; tempora ſciſcitari, & loca omnibus veſtigiis in geographicis tabulis indagare: inprimis autem oculos animi defigebas in ea tamquam oracula, quæ docerent, vt priuatim quemque noſtrum vitam inſtituere, & publicè principes rempub. adminiſtrare oporteat. Huc enim etiam ſuperiora tendebant omnia. Ipſemet iam iudica, ætatem ingenii tu iſtam rectenè delineauerim: cumque cogitabis, ita ſe habere, quæ attigi; videbis ſatis nobis eſſe cauſſæ, cur te vel deſideremus, vel, quoniam iſtam rationem tibi minimè inuidemus, amplectamur non minus, quàm ſi apud nos eſſes. Incumbe deinceps in hoc, princeps Gulielme, vt iſtic quoque omnes in tui amorem & admirationem eadem ratione rapias, qua nos tantopere tibi in perpetuum deuinxiſti. Conſequeris autem illa nunc, aut nulla alia. Erit vero hoc tibi facilius, non ſolum, quia viam ingreſſus iam es, quæ eſſe dicitur itineris vel potiſſima pars vel difficillima: ſed quia & æmulos habes huius regii ſtudii, quos præclarum tibi eſt, ſi præceſſerunt, aſſequi, ſin te ipſi ſequuntur, exemplo iis

præ-

præſucere, & duces, nobis non inferiores, atque nobiſcum planè, vt coniicio ex aliorum de iis prædicatione, ſentientes. Quod ſi conſilium aliqua in re etiam meum requireres; eo tibi non deeſſem: ſed conſilio te minimè egere arbitror: quo tamen ſi egeas, habes ex quibus petas. Qua autem alia re te iuuare poſſim? cohortatione fortaſſe, qua tamen neque ipſa opus eſt: etſi cohortari etiam eos ſolemus, qui in officio ſunt maximè. Nunc addidi ſecundum diuini operis, ex cuius primo libro me ſæpe diſſerentem audiſti apud nos: hoc forte magis delectabere, quoniam aliquas etiam declarationes ipſi addimus, quibus velut manu ducere viſum fuit adoleſcentiores, ad accuratam inter legendum conſiderationem ſcriptorum veterum. Vale. Roſtochio III. id. Septemb. Anno CIↃ. IↃ. LXXIX.

EBER-

tionem verborum, nihil, quo tibi animum meum ostendam, habeo: animo cum contentus sis (noui namque magnitudinem animi quoque tui) neque illum aspernaberis, etsi vix requires. Ego autem præterea virtutes tuas, quarum dux est liberalitas, sine adulatione prædicabo, neque, quod in me est patiar te carere, etiam ad posteritatem, debitis laudibus. Non enim arbitror, tam vilia esse ingenii mei monumenta, (etsi potest fieri, vt sumus quisque nostri immodicè amantes, vt magnopere fallar) quæ sepeliantur ante, quam ipse diem obeam: sed sperabo, quod optimis contingit, exoritura illa magis, vbi ipse occidero. Exemplum iam ad te mitto vigiliarum mearum, de quibus tu, vbi ad legendum aliquid tibi suppeditabit otii, iudicium facies. Vale, meque tua beneuolentia tantisper complectere, quoad me omnibus signis gratum perspicies.

Rostochio. Idib. Septemb.
Anno CIↃ. IↃ.
LXXIX.

OTHO-

OTHONI DVCI BRVNſuig. & Luneburg. S. D. Joannes Caſelius.

NON equidem ſum neſcius, quæ & excellentia ſit dignitatis regiæ, & mediocritas hominum bonas litteras colentium. Vt enim altior gradus apud mortales illo non datur: ita doctis hominibus, qui ex media plebe paullo fortunatiores ſunt, ſe anteponere non dubitant. Itaque inter iam diuerſos numquàm ferè animi coaleſcunt: quæ eſt amicitiæ tum origo, tum perfectio. Multi igitur, qui hoc non intelligunt, nimium ſe vel audacter ad principum notitiam applicant, vel liberè in eorum familiaritatem inſinuant, ne dicam ſtultè, cum pro beneuolentia, quam captant, odio potius digni ſint, qui ſuæ humilitatis immemores, ſe quodammodo cum ſummis æquent: ſiquidem nulla exiſtit amicitia, ſine aliqua illam colentium vmbra ſimilitudinis. Ego vero cum ita iudicem; non tamen omnibus aditum ad beneuolentiam regum, interclusum eſſe exiſtimem. Sentiam enim de illis quoque nimis duriter

duriter, si ipsis omnem humanitatem adimam: de nobis cæteris iniustè, si nos infra homines collocem. Quare vt timidè et cautè abeundum ad principes, ita ab omnibus non fugiendum esse puto. Quod si quis non existimet: videat tamen ipsam etiam naturam & viuendi necessitatem summa coniunxisse cum infimis. In imperiis ceteri regum patrocinio nitimur; vos nostra opera vti quotidie oportet. Quæ cum fieri sine beneuolentia rectè non possint; aliquam etiam amicitiæ similitudinem inter summos & inferiores coli oportere, & eam aliquando sinceram esse, mihi non est dubium. Tum verò maximè, cum principes ipsi sapiunt, & boni viri officio sibi in illo etiam summo fastigio fungendum esse putant. Putare autem hoc debent, cumulati videlicet tot diuinis bonis, vt hoc, quod omnium diuinissimum est, ipsi se ne spolient. Miraberis autem, princeps optime, cur tam altum huic epistolæ principium faciam, qui creberrimas ad te his proximis annis miserim, plerasque sine huiusmodi exordio. Tum scripsi liberius, cum necessitas mihi scribendi á re ipsa esset impôsita. Cum enim filius tuus domi meæ viueret, sciebam me crebritate scribendi apud te non peccaturum. De illius enim valetudine, moribus

ribus, studiis, cupiebas sæpius certior fieri, quàm vel ipse possem scribere. Nunc postquam ille à me discessit, quando mihi liberum esset vti silentio, cupio tibi hanc scriptionem probatam. Sed eam profectò non improbabis. Veniet enim tibi in mentem tua mihi opus esse animi benignitate: quod me epistola ostendere, reprehensione caret: neque obliuisceris tuæ pristinæ humanitatis, quæ eo maior est, quoniam studiis sapientiæ in te confirmata: & gaudebis te à plurimis obseruari, in quibus quomodo ego sim & ante cognouisti, & nolo commemorare pluribus, quoniam adulationis suspicionem fugio: gaudebis autem multo magis, cùm hinc intelliges, me huic filio tuo ex animo etiam absenti cupere. Ego vero ceteris etiam optimè cupio, quod auidè fui testatus litteris ad maiores natu, cum vnus ex Italia primùm, & alter deinceps ex Gallia domum reuertissent. Non enim iis tantum de incolumitate gratulandum putabam, & profectu in honestis & à dignitate principum minimè alienis artibus: sed eos hortabar simul, vt cursum, quem de iudicio & voluntate, auspiciisque sapientissimi patris ingredi cæpissent, tenerent, & illi à quo vitam, dignitatem, educationem istam regiam haberent

berent, & vitam quàm diutissimè conseruarent hac ratione, & aduentantem senectam, quæ per se sit amarior, suauiorem conarentur reddere: addidi, quæ viderentur, non abhorrentia ab instituto: quibus si aliquid profeci, volui certe, & profecisse existimo, operæ me minimè pænitet. Libenter autem cognosses, me etiam hodie solicitudinem suscipere de principe Gulielmó. Neque enim quis hanc curiositatem interpretabitur, nisi qui insigni me iniuria velit afficere. Nam nemo id meretur, si nihil sit præter diuturnam consuetudinem. Hac enim inter non pessimos animi hominum facile coeunt ad mutuam beneuolentiam. Sed mihi plus caussæ est. Qui enim quod opus cæperit, ille quod feliciter cæptum sit; honoris quoque sui interesse arbitrabitur, vt eo modo proficiatur, debitumque tali operi fastigium imponatur: hoc si minus fiat, dolorem accipiat animo grauem. Volui autem huius meæ erga illum voluntatis argumentum exstare non solum hanc epistolam, quæ & ipsam satis testaretur: sed in mediis occupationibus & valetudine non satis firma, superiore autumno tantum mihi otii sumpsi, vt quoq; bene longam ad principem Gulielmum singulari diligentia scripserim, quod ad aures

quoque tuas perlatum esse arbitror. Præter cohortationem, ad quam tendebant omnia, placuit mihi persequi omnem rationem nostræ educationis: tum, vt ille recordaretur, ex hac via, qua ductus esset ab Ioanne Ducaro, iuuene doctissimo, familiari meo, sibi nequaquam esse declinandum, (neque enim rectiorem ostendi posse ita certo scio, vt contendere ausim, qui diuersam sequatur, eum aut per ambages ducere, aut penitus seducere) tum, vt, quorum iam traditus esset fidei, plenius cognoscerent, nihil in tam heroica indole expolienda, quantum ætas illa passa fuisset, neglectum apud nos fuisse. Nihil namque poterat hic accedere, nisi obstaret magis, quàm adiuuerit. Nam pompa regia, & aulicus luxus, & à modestia & litteris abducunt longius: neque tu ignoras, quàm illa quoque in regiis moderationem hoc supino & ignauo seculo desiderent: quæ si adhiberetur, saperemus rectius, & viueremus beatius, essetque in nobis præsidii aliis gentibus, adeoque vniuerso orbi Christiano plurimum positum. Vtinam filius tuus eodem virtutis & doctrinæ tramite ducatur; quod non debeo dubitare, neque aliter suspicari de viris nobilibus & doctis, quibus plurium principum vita & educa-

ducatio, quæ illa ipsa est preciosior, quando sine hac maximam partem bruta foret, credita est: futurum sit, vt ex tali filio, quam hactenus haud leuem cæpisti, porro incredibilem voluptatem capias, & ille floreat omnibus ornamentis regiis. Maius apud mortales neque ipsi pater optare potes, & huius voti communis gratia me porro amabis: & hanc epistolam libenter legeris. Vale. Rostochio id. Nouemb. Anno CIↃ.IↃ. LXXIX.

IOANNES CASELIVS S. D. Petro Victorio.

VNA est eademque silentii vestri caussa, si modo nihil scribitis, vt mihi nihil redditur: quod ego libenter secus credo, tum, quia sic tuum tuorumq; omnium in me amorem longo iam tempore haud dubiis signis, ex te ipsa videlicet, perspexi, tum, quia cupio mirificè in perpetuum vobis esse carissimus, vti profecto eram, cum apud vos viuere. Est igitur vna eadéq; & silentii vestri & mearũ litterarũ raritatis caussa. Fateor enim, me minus sæpe ad hoc scribẽdi officiũ

accedere: ſed idem aio, me aliquando ſcribere: quod, ſi litteræ reddantur, de quo, quia non certis hominibus aut hinc ad vos proficiſcentibus dandæ ſunt, valde dubito, ipſi perſpexeritis. Poſtremas dedi anno ſuperiore VII. K. Quinctiles, quas Baſſeuitius noſter Lipſia per negotiatores iſtuc curaturus erat. Dubiæ fidei fortaſſis illæ fuerunt creditæ, nec has dabo certiori tabellario, de quo, vbi ſcriptæ erunt, erit adhuc diſpiciendum. Quod ſi faſciculus peribit; damni vos nihil feceritis, neque hic mihi labor perierit, etſi plus fructuum ferre videbitur, ſi hæc legetis. Non perierit autem, quoniam ex hac cogitatione, quam ad ſcribendum ſumo, mirificam capio voluptatem, quando & ex vobis de rebus veſtris, & primo loco de te ſciſcitor, quaſi iamiam aliquid auditurus noui & boni nuncii: (ſic enim ominor) & expono aliquid rerum mearum, eas audituris cupidè, vt amiciſsimis hominibus. Primum eſt, quod gaudebitis, me non incommoda valetudine vti, cuius ope & rem familiarem tueri, & ſtudia litterarum non ſegniter poſſim colere. Alterum vt opibus floream & honoribus, quod te quoque optare ſcio, malo ne quæratis. Nam ego etiam ſtudio fugi hactenus, ne altius aſcenderem,

rebus

rebus ita perturbatis apud plurimas gentes: & haud ſcio, an hodie Italia omnium maximè abundet otio: ab hac ſecunda eſt Germania, in qua diſſenſiones acres opinionum ne excitent graue incendium, optandum eſt: quod qui præuident, vtinam tam poſsint auertere: ſed nos communem caſum exſpectare oportet & tolerare: neque tamen eum ipſe valde extimeſco in hoc vitæ genere; quod conſilio diuino potius, quàm meo mihi delegi: atque hanc vitam hactenus ita colo, vt cum aliorum ſplendori non inuideam, optimatibus nòn minus ipſe carus ſim, quàm qui in ea re plurimum ponunt operæ. Putetur hæc aliqua eſſe dignitas, cui ego antepono dignitatem grauiorem multo, mea ſaltem opinione vel errore ſuaui, partam ſtudiis litterarum. Quid dicam de æquitate animi mei, & incredibili cupiditate diſcendi? illa autem hac quoque nititur, & hæc vt non poſſit non indies incrementum ſumere, tu iudicabis omnium optimè, cuius oculos, animum, inquam, defixum in litteris nullus vmquam ſplendor perſtrinxerit, neque tranſuerſum vnguem ab inſtituto tam nobili auerterit. Vt corpore ſim affectus habes, vt animo: vt ſuſpicari iam facilè poſſis, quid agam. Impendo enim rei familiari forte

minus curæ, quàm debeo: tamen quantum hoc tempore negare non possum: ipsa igitur se habet, vt ait ille ex primis vitæ cultoribus, admodum nobilis: ὡς εὖ μὲν χελεπῶς, ὡς χαλεπῶς δὲ μάλ' εὖ, vt si quid me premat, sit tamen plus, quod gaudeam, si accuratè expendam utriusque fortùnæ vices. Inprimis autem hoc in mentem reuoco: quod iudicio sequar, in grauiora incommoda ne incurram, id omnino mihi ferendum esse animo æquo, si non prorsus lubenti. Quas porro, te spectante & duce litteras colebam, in ijsdem me versari sæpe scripsi, acceptas à summæ sapientiæ magistris, & potissimum ab horum principe traditas; & haud scio magisné quotidie alios ijs erudiam, an me ipsum: me puto maximè, vti debeo, quò sim, qui esse velim, quemq́, tu me esse iudicas: sed tamen in aliis quoque ingeniosis adolescentibus expoliendis quotidie occupor, neque vlli desum, quam probe animo paullo auidiorem elegantis esse bonæque doctrinæ sentiam. Neque enim sunt apud nos nulli: sed plerique sectantur vmbras doctrinæ, sola opinione contenti, statimq; eo se conferunt, vnde plus lucri affulgeat: quod neque vnius nationis est proprium, neque tantum nostri seculi. Cum autem satis diu non nisi

grauio-

grauiora tractarim, cohibui me hoc anno, & animi gratia multum tribui temporis vni alteriq; poetarum. Nam in lyricorum principe laborauimus, & non sine animi oblectatione multa abstrusa eruimus. Neque enim mihi adscribam, in quo etsi partes meæ primæ erant, tamen plurimum me adiuuerunt viri docti, à quibus in societatẽ huius studii eram vocatus. Iam Æschylum in manibus habeo, ad cuius emendatissimam editionem tu quoque olim contulisti plurimum. Cum autem omnia in illo tragœdo diligenter expenderis; velim esse nobis aliquod tuarũ animaduersionum. Quibus cum caream, neque quidquam habeam adiumenti præter Græcos commentarios; tamen intendo ingenium, meque euoluo plerisq; salebris, quantum queo: viam certè munio, ut minus relinquatur negotij studiosis huius tragœdi. Deinceps reuertar ad Aristotelem, & auditoribus meis forte illius libros de optimo statu reip. interpretabor, illustratos à te diuinis commentariis, quo facilius amplissimas illas doctrinas assequeremur, magisq; emergeret illa cana veritas, Atticæ philosophiæ alumna, secundum Varronem. Habes mea & tamquam meipsum: præter ea, quæ ad nos pertinent,

nihil omnium ſoliti fuimus perſequi: & vix ſemel ipſe alia vmquam attigerim: aliqua vltro ad vos peruolant: reliquum eſt eorum genus, in quorum cognitione nihil inſit iucundi, vt ea taceam, quæ, quàm noſſe, ſit ignorare ſatius. Vale Victori, & tui oſeruantiſſimum ne obliuiſcere.

Roſtochio.prid.non.Decemb.
Anno CIↃ. IↃ.
LXXIX.



GREGO-

GREGORIO BERSmano v. clar. S. D. Joannes Caselius.

DEdi ad te, Bersmane, nescio quid proximè litterarum. Subito enim scribendum erat. Vt plurimum enim litteras poscere tabellarii solent, quando velut è carceribus iamiam excursuri sunt, & pæne dixerim auolaturi. Id erat mense altero. Iam vero mearum rerum haberes vberrimum interpretem, Henricum Mensingium nostrum, si, quod in animo habebat, iamque ingressus erat iter, perficere ipsi licuisset. Dederam enim permulta ei in mandatis ad te. Cui enim rectius quam familiari? ne epistolæ quidem. Verum id secus accidit, vt nec ille nobis potuerit gratificari, & ego tibi tam cognitu acerbum, quam scriptu mihi de eo nuncium, ad te perscribere necesse habeam. Amisimus namque adolescentem carissimum, summum vtriusque cultorem. Valde autem eum amauimus (tuto enim, vt de me, ita de te quoque id affirmare posse mihi videor.) non tam, quòd ab eo nos dili-

ligenter obseruari intelligeremus, etsi neque hoc nihil caussæ esset, quando vix cuiusquam ea est vel asperitas vel immanitas, vt hunc, à quo diligatur, oderit, quàm quod iustas eius amandi eas caussas habuimus, quæ apud omnes homines conciliatrices beneuolentiæ esse solent. Vis enim maxima est probitatis & modestiæ, in adolescentia, maximè apud spectatos viros; nec mirum, cum sæpe etiam vel nefarios hostes in admirationem sui, species virtutis excitet. Proinde nihil videatur absurdius, quàm si nos ea non capiamur, cujus studium profiteri non dubitamus. Quis enim credat, vllum esse sapientiæ studium, à virtute separatum, aut remotum? Neque tamen ignoramus, animi bonorum, quæ sit inter ipsa affinitas, quæque differentia. Velim autem quæ mentis sunt bonis, semper comitari altera, quæ consilii morum atque vitæ perhibentur: quod inprimis optauit perpetuo optimus humanæ vitæ auctor Socrates. Sane & hæc & illa admirabilia & diuina sunt. Hinc igitur non sine caussa euenit, & aliter fieri non potest, vt boni iidemque docti viri, (non dico doctissimos, ne me in doctis numerare existimes eos, quibus vulgus & imperiti veluti sceptrum

ptrum & diadema ſapientiæ deferunt) & ſancta quadam coniuratione, reſpicientes veritatem & vtilitatem publicam, ſe inter ſe ſincerè colant, & virtutis bonæque doctrinæ deditos ſincerè ament. Non iam perſequar, quæ nobis inter nos velimus & debeamus: quo profecto certis veſtigiis ad probitatem & litteras ingredi videmus, eos ſine dubitatione, vti dixi, amamus: omnibus noſtris opibus iuuandos ſtatuimus: erudiendo, monendo, cohortando, quacumque alia ratione; procurrentibus in ſpatio gratulamur: ſi quid ipſorum honeſtias obſtet conatibus, conamur amoliri: etiam ipſorum infelicitatem dolemus, vt liberorum. Talem te eſſe erga tuos alumnos non dubito: me talem fuiſſe ergà meos, à multis iam annis ipſe mihi teſtis ſum apud me locuples: neque deſunt tamen, qui meum erga ſe animum, ceteraque beneficia prædicent. Cum autem æquè amiciſsimè fuerimus affecti erga Henricum Menſingium, parem dolorem ex ipſius caſu capimus. Præmaturè nobis ereptus eſt; ſed multo magis ſtudiis opt. artium, id eſt vtilitati publicæ. Si enim vllus ordo ſeruit communi vitæ hominum; hic certè noſter eſt.
Nemo

Nemo enim est nostri ordinis reuera, quia & quibus cum vitam agit & longè etiam dissitis plurimis, & præsenti seculo, & posteritati etiam seruiat egregiè: quod fortasse neque vulgo in uniuersũ, neq; multis regibus persuaserimus: nos tamen hoc intelligere, nostra interest: vt pulchritudine nostræ vitæ generis confirmati, vt negligamur, vt premamur, vt rideamur, locum in acie non deseramus, sed omnem barbariem, eiusque socias aut gemellas sorores, inscitiam, malitiam, & quicquid incommodat rectæ rationi vitæ, sedulo profligare pergamus. Sed redeo ad Mensingium, qui quoniam occasionem mihi dedit ad scribendum, non indulgebo dolori, neque id faciam, quod nostræ litteræ prohibent, vt me frustra animi angam: sed in multis malis hoc quoque feram, & ratione medebor huic quamuis recenti plagæ, ad ea conuertens animum, quibus & ipse animus alitur maximé, & homo non euertitur. Neque ille velit, nos aliter hic nos gerere; non nolit autem de se nos dicere, quæ cum vera sint, tum nostrum erga ipsum amorem testentur: neque hoc improbet, qui ex huius epistolæ lectione fructum aliquem capiat, & vel exemplo vel doctrina animo informetur: neque te

pigeat

pigeat, quæ maximam partem noueris, recognoscere, & mecum tacitè considerare, qua re si nunc voluptatis nihil parare nobis possumus, minuemus tamen molestiam. Sed in cæteris non exspectas, vt de iis bonis Mensingii multum verborum faciam, quæ fortunæ potius, non ipsius propria fuerint. Sed neque tamen quid habuit plebeium in animo, neque à maioribus. Primum enim vtraque ipsius patria est adprimè nobilis. Duas enim poterat legitimè agnoscere: vnam vbi ipse esset in lucem editus, hanc ciuitatem, in qua mihi viuere satis commodum est, celebrem & negotiatorum frequentia & doctrinæ studiis: alteram, nobilissimum huius oræ maritimæ emporium, & principem ciuitatum ad mare versus boream confœderatarum Lubecam, quæ nomine εὐνομίας & apud longinquas gentes bene audit, & ab acribus vitæ hominum censoribus magnopere prædicatur. In ea eius proauus Bernardus Bomauerus, equitis aurati dignitate præstans, quæ illo seculo propterea magna erat, quod non nisi fortissimis viris & bene meritis de patria tribueretur, & consulatum cum laude gessit, & quo tempore Lubecenses regnum Suecorum occuparant, cum imperio arcem Stock-

aliquid moribus dare. Cum autem puer admodum, ita tamen tingi cæptus litteris ab vltima infantia, patrem amisisset; partim naturam suam, partim exemplum parentis, partim voluntatem propinquorum secutus, totum se illis libenter addixit. Tutorum etiam auctoritas apud adolescentem plurimum, vti debuit, valuit, primum avunculi, qui ipse in litteris omnem ætatem ageret, deinde Balthasaris Gulij, consulis, & Andréæ Masonis, senatoris, quos ego homines ordinis amplissimi magni facio, vti par est, tum ob humanitatem & singularem erga me benevolentiam, tum ob bonarum litterarum scientiam, quibus in hac potissimum academia, id quod æquissima voluntate præ se ferunt, atque iccirco cum nostro ordine sunt convinctissimi, animos suos preclarè excoluerunt antè, quàm ad remp. accederent. Itaque ipsorum & vsus maior est in ciuitate & dignitas. Quam autem & hi & amici ceteri, de pueri ingenio spem conceperant; eam indies magis confirmauit, cum omnibus modestiam in moribus probaret, & in vtraque lingua multum proficeret: atque ipsi tum commodum fuit Lubecæ discere ex optimo magistro Iobo Magdeburgo, Æqualium nemo adolescen-

lescentulum superauit, æquauere pauci: id quod mihi ex ipsius condiscipulis ipsimet retulerunt. Postquam autem & in illa schola,& in hac Academia bonæ doctrinæ initia quædam accepit; cæpit ille statim non adumbratæ alicuius scientiæ cupiditate flagrare. Cum enim à nobis moneretur, non esse illas veras litteras, quibus hodie satis multi ostentatores se pro sapientibus in vulgus venditant; facile manus dedit,& subito credidit, se, etsi iam didicisset illa bonarum artium elementa, manibus iam trita omnium, vixdum tamen bonas litteras primoribus, quod aiunt, labris delibasse: quæ teneret, habebat, vt erant, pro puerilibus: quæ videret veteri illo & à philosophis in perpetuum repudiato, sophistico more in speciem proponi; ea negligebat & procul à se abijciebat. Quædam enim pestis, vti scis, in Gallia, nobis pueris, inuasit in bonas litteras, non inelegans primo aspectu, inscitiæ tamen patrona, mater ignauiæ, veritatis negligens, iactarrix dementis cuiusdam sapientiæ: ea, quod sciam, Alpes non transiit: neque enim illas ineptias animaduertimus in Italia: sed ex agro Gallico serpsit per Germaniam, & scholas, in quibus pueri instituuntur, infecit sane multas

tas

tas, è quibus ad nos ſæpe ſcioli veniunt, loquaci inſcitia ſatis armati, vbi primum dicendi occaſionem arripuerint: quod equidem doleo, ſed magis doleo, quam dico peruerſam rationem, in regias etiam ſcholas vel irrepere vel irruere. Vide quid non auſit impudentia; etſi nonnulla eſt etiam, noſtràne, an quorundam noſtri ordinis culpa? qui illam auctoritate noſtra non ſerio ſemperque coerceamus: neque tamen non video, aliam & multo importuniorem & potentiorem nobis obſiſtere, quæ denuo nouum barbariæ imperium molitur. Sed ne à Menſingio euager longius: ille nequaquā in oribus impingens, neque aut iudicio aut cupiditate alucinans, ſtatim ſe ad viros doctos contulit, à quibus ad bene beatèque in ſocietate mortali viuendum, quod non temere pollicetur philoſophia, rectè erudiretur. Delegerat autem ſibi virum grauem, eundemque doctiſsimum, Nathanem Chytræum, vnum ex meis intimis, amicum vero etiam tuum, ad cuius iudicium & mores conformaret, & porro inchoata ſtudia dirigeret. Eius quoque domi ſponte viuebat, vt admonitionem expetere, obiurgationem etiam non refugere videretur. Quid igitur

mirum, si multum, si breui, eo ingenio adolescens, ea cupiditate, eo studio, illo duce, proficeret? præsertim cum fere quotidie in scribendo exerceretur. Iam tum autem & solutam numeris, & ligatam orationem ita egregiè componebat, vt & subito ætatem istam, & se indies superaret. Multum faciebat ad eam rem, quod plebeiarum veluti que tabernariarum scriptionum nihil attingeret, versaret autem sedulò omnes Romanos aureæ illius ætatis scriptores: neque eos percurreret, vt fit, sed consideraret, vt eorum mentem plenius intelligeret: quod quo facilius consequeretur; tum quod ipsum fugeret, vel ex æqualibus vel ex hominibus doctis sciscitabatur, tum interpretes, quos probari nobis intelligebat, simul legebat. Persequendas vero etiam sibi Græcas litteras putabat, & cognoscendos illos perennes fontes sapientiæ. Græca igitur monumenta quæ poterat, legebat per se: alia audiebat cum priuatim, tum publicè explicari: denique, cum scriptores, optimos illos quidem, sed ad intelligendum non cuiuis faciles, (in iis erat proxime Lyricorum ille princeps Pindarus) communi studio cognosceremus, homines aliquot eruditi, vno interpretandi molestiam suscipiente,

cete-

ceteris; nihilominus suas cogitationes ad sententiam, è qua vnus alteruè haud facilè emergeret, confirmantibus; impetrauit ipse quoque à nobis facile cum perpaucis præclari ingenii & acris studii adolescentibus, vt vna interesset nostris illis scholis singularibus, frueretur que nobiscum vna dulcissimis animi epulis. Non enim in philosophum ordinem cadit, vel cum paribus non communicare de litteris, vel minoribus earum communicationem inuidere vtrumque sophistarum proprium esse existimetur; & commodis suis & falsæ auctoritati consulentium, non veritati & societati mortalium. Ceterum commenti sunt plerique hac eruditione, vt tincti leuiter ceteris scentiis, animos lectione poematum, orationum, historiarum in perpetuum oblectent, & se ad vitam ciuilem instruant egregie, inque ea rectè colenda mirificè confirment. Vtinam nemo vel regnum gubernet, vel aliquod in rep: munus gerat, nisi vel hisce tantum studiis, sane tam iucundis quàm vtilibus, & imbutus &, quod per negotia liceat, in perpetuum occupatus. Tanti ego hæc facio, & pluris adeo quam multa, ijs quæstuosiora, etsi hæc

sola ferè nunc in precio sunt. Quamquam igitur illis quoque mirificè hic adolescens caperetur; eaq; coleret summa diligentia, neque vmquam, quoad viueret, abijcienda aut seponenda putaret: tamen in ijs tantum pedem sibi figendum non putabat, sed ad subtiliores, sublimiores, & diuiniores quoque scientias, tum naturæ præstantia, tum iudicii bonitate rapiebatur, à quibus tamen multi ingenii imbecillitate, vel impatientia laboris fugiunt, alii deterrentur magnitudine & difficultate ipsius operis: quod tantum est, quanti summum omnium bonorum, quæ homines nostrapte opera nobis comparare possumus, æstimari debet. Quod si rem ipsam assequi numquam possis; nonne hic animus omni laude dignus esse videatur? necesse est enim eum esse non vilem, qui despiciat quæcunque sunt in fortunæ potestate posita: contra diuinum esse, qui vera bona in bonis sola ponat, omnesque neruos intendat ad ea consequenda. Non igitur abs re adolescentem nostrum, etiam exemptum rebus humanis, amore prosequimur: quem ego erga illum ostendere alia ratione non possum, quam si non tibi, etsi ad te potissimum scribens, sed aliis adolescentibus,

libe-

liberalium artium ſtudioſis, illius mentem conſiliumque expoſuero, vt inſtitui. Et enim ille veræ laudis præmiique ſuorum laborum expers non erit, & hi habebunt exemplum nobile, quod imitentur. Exemplorum etenim quæ proba ſunt, recte etiam pro regulis habebimus, quando niſi vel cum his conuenirent, vel ad ea proxime accederent, proba nequaquam exiſtimarentur. Sed quo me abripit ſcriptionis quaſi æſtus? volui eſſe non ita longus: & quamquam plura etiam ſcripſi, quàm volebam initio, tamen non poſſum inchoata præcidere, & tu meæ verboſitati veniam dabis, præſertim ex amiſſi adoleſcentis deſiderio natæ. Vt multos ego vidi, neque tu forte pauciores, qui doctores vel non audiendos putarent, ſibimet ſe ſatis idoneos magiſtros fore rati, vel non audirent ſedulo, freti ingenio; vel quoſuis audirent, ſiue eos certe, quibus alios operam dare cernerent; nullo vſi conſilio in rebus ſuis. Contra Menſingius, & recte putabat, in ſcientiis eſſe, quas ſine diſerto interprete ne ingenioſiſſimus quidem perdidicerit, neque illum audiendum oſcitanter, quod ſi quem, quæ præmitti neceſſe eſſe, fugiſſent, is intelligentiam ſequentium numquam adipiſceretur: videbat deinde

quæ ex quo rectiſsimè, quo item & tempore & ordine acciperet. Itaque ceteris non quidem contemptis, tamen præ aliis, vt dixi, Nathanem ſibi ſumpſit, me quoque audiuit, ſed diligentiſsimè Henricum Brucæum logica, geographica, aſtronomica, phyſica, cum luculenta ſuauitate diuinitus explicantem. Eſt enim hic vir multiplicis bonæ doctrinæ copia inſtructus, & reconditis litteris præditus, præter artis medicæ peritiam, in qua quantum excellat, in meo ipſius corpore ſæpius experior, quàm me amici experiri velint: ſed tamen ſecundum eſt, ſi non ſemper firmiter valeas, ſarcire valetudinis ruinas vtcumque poſſe: quique in ea re nobis ſeruiat, magis etiam videatur colendus, quam Æſculapius. De eo, ne videar pluſculum amicitiæ largiri, etſi hic locus poſtulabat, non dicam amplius, ne etiã ipſi moleſtus ſim, qui intra modum malit prædicari, licet eum numquam ſatis laudauero. Quod etiam tuam diſciplinam non aſpernatus ſit, tute ſcis, & ego gaudeo, cum quod eo homine vſus eſt, qui principe loco ſumma cum laude elegantiores litteras, quæ humanitatis appellatione hodie merito celebrantur, in academia veſtra doceas, tum quod idem ſtatuimus de hiſce, quas dixi

litteris

litteris, earumque innocentiam iunctissimis animis aduersus ingruentem barbariem fortiter propulsamus. Sub huius enim belluæ signis militant multi, qui exuviis doctrinæ amicti, sibi dominatum & opes passim parant. Quantum vero res vmbræ, veritas opinioni præstat, tanto maiore laude dignus est, qui esse doctus, quàm credi cupiat. Cum autem hic adolescens ad sapientiam non adumbratam contenderet, ita se in hoc præclaro suo instituto gessit: verum haud scio, an ex iis, quæ dixi, eius animus ita patuerit, vt ex hoc vno, quod toto animo se ad Aristotelis, summi illius & optimi omnium doctissimorum præceptoris, monumenta cognoscenda conferebat. Hoc enim qui serio & constanter faciat, eum posthabere omnia studio sapientiæ credibile est. Quascumque poterat opes, huc sibi comparabat: propterea cum eruditis æqualibus studia sua quotidie communicabat: doctores, quos dixi, omni attentione audiebat: interpretes summi magistri, quos nactus erat, legebat: quos non habebat, inquirebat vndique: etiam eos, qui inquinatius scripserant, vt quãuis politæ orationis semper fuisset studiosissimus, tamen non sermonis solum elegantia capi, sed multo maximè eum

optimarum ſcientiarum ſtudio teneri conſtaret. Cum autem eius aliquando accuratè & pereruditè ſcriptam epiſtolam legiſſem; de ipſo optimè ominari cæpi, & futurum aliquando in doctiſſimis Germaniæ hominibus dicere non fui veritus; ſi eum fata ſupereſſe nobis ſinerent, neque hæc diuinatio, quod poſt magis ſenſi, me fefelliſſet, niſi è medio hoc curſu eum eripuiſſet fati violentia. In philoſophiæ ſtudiis vitam tranſigere decreuerat: & ſe præterea, de conſilio potiſsimum meo, arti medicæ dedere, quo & ſuæ valetudinis, quæ non firma admodum eſſe videretur, rationem hoc magis & rectius haberet. Hæc agens, hæc meditans, vixit vitam ſuo loco, ordine, ætate dignam: quæ vita ſi ipſi breuis contigit, melior fuit, multis in ignauia, ſomno, turpi voluptate, luxu, & ſimili vitiorum genere actis ſeculis. Namque multo magis refert bene vixiſſe, quam diu: quin ſapientes ne quidem eos vixiſſe arbitratos accepimus, qui bene recteq́, vitam non inſtituiſſent, etiamſi omnibus fortunæ bonis cumulati, omnes cupiditates expleuiſſent ſuas. Non quæram in hoc luctu conſolationum aliquid, quæ nobis in promptu eſſe perpetuo debent: & propterea hoc minus faciam, ne meam inopiam tibi oſten-

ostentare velle videar. abundas enim ipse hoc genere. Si quis dolor est, noster est, & nostra caussa, & iccirco maximè moderandus. Non enim male cum iis agitur, qui cum bene vixissent, vel paucos annos, vel longam ætatem, quæ tamen breuis esse censetur, quoniam finem habet aliquem, ex incommodis vitæ mortalium, maximè huius tempestatis, quæ vel solo futurarum calamitatum metu misera est, eripiuntur: immò optimè agitur, quorum animi ad beatorum sedes migrant, quo omnes, vt Christianæ pietatis oraculis edocti sumus, suspirare debemus. Sed cum plura scripserim, quàm ad te debuerim, multa, quæ non debuerim; iterum rogo, vt huic meo errori, quem in te amarem, veniam des. De aliis rebus, cum erit vtriq; commodius: potissimum autem de communibus litteris, & nostra caussa, quo meliores ipsimet euadamus, & publica, vt honesto otio perfruantur litterarum beneficio plures etiam populi, & posteritatis denique, cuius bonos tam decet habere rationem, quàm nostri habuerunt ex maioribus nostris viri optimi. Nihil puto esse dignius homine, nihil humanitati magis consentaneum: nisi forte, si quid est veræ humanitatis, in hoc veluti opere, non solum consi-

lio, totum vertitur: quæ omnino mea eſt de hac re ſententia. Vale Roſtochio. non. April. CIↃ. IↃ. XXC.

IOANNES CASELIVS S.D. Ioanni Corſinio.

HEri iterum abs te litteras mihi mater tua reddidit: facis, vt te decet, quodque mihi de te pollicebar olim. Amas namque, à quibus amari te credis, & modis omnibus animum gratum erga eos declaras: à quibus te aliquid beneficii accepiſſe iudicas. Hac re facis, non ſolum, vt veræ virtutis non minus, quàm optimarum diſciplinarum te acrem eſſe cultorem videamus, ſed etiam indies habeamus cariorem, nouasque ſubinde omnibus in rebus tibi gratificandi rationes vltro ineamus. Spero autem etiam prorſus aliquando futurum, vt ex hac tua erga nos pietate pleniores fructus capias: quod anté quàm fiat, ipſe non conquieſcam: eo etiam ſunt animo viri præſtantes, quibus hic non paucis vtebare ſatis familiariter. Omnibus autem ita tuum in nos ſtudium probaſti, vt nihil deſideremus: mihi hoc magis

gis, ut te reprehendam, qui modum eius non seruaris. Quid enim sumptum facis, ut, quæ istic sint, nobiscum communices? Hic in te requiro parsimoniam. longè abes à patria: arculam matris penes te non habes: & sunt in illis quædam (cur enim dissimulem?) non mei stomachi, coctuq; difficiliora, illis durissimis piscibus, qui huc ab vltimo vsque borea aduehuntur. Indignor enim, & cunctos mecum bonos indignari necesse est, quoties video male fortunatarum scriptionum virulentiam ne dicam, an inscitiam? Certe enim extrema est inscitia, & plus quàm odio digna, cum disputandum sit de re proposita, calumniis paginas complere & maledictis: οὐδ' ἂν νηῦς ἑκατόζυγος ἄχθος ἄροιτο: jacere tamquam veneno illita spicula in senes, homines doctissimos, & de nobis, adeoque de omni posteritate præclarè meritos, quos boni ut patres non possunt non revereri: in eorum cultoribus præcipuis ego nomen profiteor sine omni tergiuersatione meum, tibique eos colendos omni officio & studio censeo, si honestus esse velis, quod velle te scio, sique coli aliquando a bonis & ipse desideres, quod à veræ laudis ratione minime est alienum. An tu sales illos

esse putas? quibus nescio quis aspergere conatus est senem illum, de cuius laudum cumulo hac via nihil diruitur, neque vlla dirui potest, meis aliorumque prædicationibus nihil adiicitur: ita illæ per se sunt illustres. Quotquot ego intelligentes audiui & bonos, abhorrentes à maleuolentia & maledicentia, quibus grauissimis animi morbis nemo vmquam bonus laborauit: non solum ætate & eloquentia, sed animo etiam & consilio parem Nelei filio esse iudicant, cuius similes συμφράδμονας, vti scis, decem sibi dari exoptabat Agamemnon, illum, ne quidem ipso Achille excepto, anteferens omnibus. Miror, quid illis veniat in mentem, qui sanctimonia vitæ prælucere omnibus, dissentientes bonis rationibus conuincere debebant, vt exemplum Aristophanis pessimum sequi malint, quàm eiusdem consilio vti longè optimo. Nosti enim hoc ipsum & Platoni mirificè probatum, & à Tullio luculentè explicatum: ἔλεγχε, ἐλέγχου. Hic noster quoque mos est, si quis ab altero dissentiat: alter ille κακοηθείας καὶ βλασφημιῶν, neque academiæ nostræ, neque noster est: alienissimus ab omni philosophia, multo maximè à cælesti. Est enim plane barbarus & plusquàm Scythicus, quo qui vel delectetur,

idem & gladiatoribus delectatur, expers humanitatis, nec ratione recta præditus. Parce igitur hac in parte pecuniæ: quin si gratis habeas, ne tabellario ferendi, nobis legendi onus, ac ne cognoscendi quidem molestiam imposueris. Hortarer etiam te, vt eiusmodi mecum odisses, nisi odisse te, minimè dubitarem. Non enim potes ea probare, cum adolescens profundas radices egeris modestiæ: immo te natura modestum finxit, in optima vitæ ratione confirmarunt litteræ. Venio ad petitionem tuam. Mittemus quod vis proximè: iam non erat in manu mea: abest, qui illud penes se habet. De ceteris cognosces ex aliorum litteris, quibus tibi quoque puto significatum de æquali tuo Henrico Mensingio: erga quem vt fuerim affectus, haud ignoras, & recognosces ex mea ad Bersmanum epistola. Vtinam ille nobis & bonis litteris fuisset superstes. Sed ita sunt res mortalium. Etiam Ioannes Hobius, iuuenis adprimè nobilis, hoc mense diem obiit, matri mœrorem perpetuum, quæ illum habebat vnicum huius vitæ solatium, nobis omnibus incredibile sui desiderium relinquens, neque mirum. Iam enim pluribus sui ordinis locique, humanitate, comitate, & munificentia

anteibat,

anteibat, magno bonis porro quoque diu futurus præsidio, quorum tenuitatem vltro sublevare jam consueuerat. neque igitur ei elogium in perpetuum debebo. Grauiter enim mihi peccare videar, si quem viuum ob studium elegantis doctrinæ & virtutis; hoc potissimum auaro seculo, rarissime amauerim, eum mortuum debita veræ laudis prædicatione, quam ipsemet ei possim tribuere, carere patiar. Vale. Rostochio. Id. Maijs. Anno cIↃ. IↃ. XXC.

IOANNES CASELIVS S. D. Hieronymo Wolfio.

NVmquam fortasse nos videbimus: per litteras etiam raro nobis licet colloqui: ipsa tamen jucunda raritas: vel breuissimæ tuæ, quas ante Kal. Ian. dedisti, ego sub Kal. Majas accepi, quam mihi fuerunt jucundissimæ? Retines igitur memoriam veteris amici: neque tui ipse queo obliuisci: hoc dignum litteris: hoc litteratis: disiuncti tantis locorum spatijs viuimus conjunctissimi: in vulgus, qui in eadem prouincia, in eodem oppido, in ijsdem ædibus vivunt, vix tuentur umbram concordiæ: sed ne ruam, quo nolo, nihil de alijs: nos ceteris disputationes, vel potius studium contentio-

tionis relinquentes,agamus serio,quod profitemur. Ego ex meis vindemiolis proximè mittam aliquid; tua in promptu sunt multa & bona, quibus nobis uti licet quotidie. Vale. Rostochio XV. Kal. Sextilis. ANNO M. D. XXC.

JOANNES CASELIVS S. D. Carolo Sigonio.


Quo rarius ad te scribo, Carole Sigoni; non hoc scribo accuratius: sæpe non queo scribere, quoniam annis pluribus vix aliquis hinc illuc proficiscitur, cum nostri ciues nauigationi, magis studeant: jam vero accuratè minimè. Festinat enim hic adolescens, & plures flagitat epistolas, & se à comitibus vrgeri ait. Itaque ipsi non succenseo: & tamē gratificari cupio: nec te præterire debeo, non tam, ut jam ipsi gratificer, quam tibi constantiam mei erga te animi benevolentissimi probem: etsi hoc fortè necessariū non est. Non enim minus bene de me sentis,quam ipse de te. Persuadeo autē mihi,me à te amari,etiā cum longissime istinc absum: quin hoc recognoui ex Liuonij sermonibus,qui hoc mense ex Italia ad nos rediit. Ajebat enim,se tibi adfuisse Bononię:te mei amicā mentionē fecisse. Ne nos ingra-

ingratos esse existimes: ferè quotidie honorificam tui mentionem facimus, tibique absenti gratias agimus, qui non desinas benè mereri de litteris: etiam tuo exemplo excitamur, vt ipsi quoque nostro loco aliquod eorum patrocinium suscipiamus, tum docendo: tum scribendo: doceo quotidiè, in altero minus possum: non tamen nihil conor, & inprimis hoc ago, vt juventus nostra indies rectius & alacrius colat litteras: & hoc magnum esse existimo, etsi tua sunt longè majora: immo maxima. Tu enim multis gentibus & posteritati consulis. Vtinam tuis tantis vigiliis digna etiam præmia persoluantur: apud nos rē faciunt, qui quæstuosas artes tractant: quo loco sint studia sapientiæ, non libet queri, ne patriam trans Alpes accusare videar: neque nescio, vt Italia perpaucos etiam ornet, & sæpe dignissimos prætereat:, neque nos eius rei causæ fugiunt. Sed quid hoc ad te? cum sciam, te hominem philosophum, neque auri aceruos, neque insignia honoris admirari, quorum possessio etiam penes nefarios sæpe sit: sapientiâ & virtute si contenti sumus; tranquillè viuimus: neque agit vitam misere, qui vtrique semper studet serio. Ego mihi polliceri nihil his moribus queo: in animū induxi

induxi, me imprimis erudire, & de quam multis potero, bene mereri: tu meritis tuis omnes bonos & eruditos viros tibi arctissime devinxisti, & viues cum immortalibus ingenii tui monumentis. Uale. Rostochio XV. Kal. Sextilis, Anno M. D. LXXX.


JOANNES CASELIVS S. D. Joanni Fichardo.



Rauem tuum casum, Fichar-de, quo certé grauiter animo perculsus sum, accepi ex tuis ad communem amicum Carcovium litteris: quas vtinam ille mecum communicasset, vt solebat. Quæ enim tum ab aliis, tum à te accipiebat; ea mihi, vt amicissimus carissimo statim & cupide impertiebat. Recordor enim, vt vel ad me miserit, vel me ad se arcessierit, vel domum meam ipse venerit: simul etiam sermoni alicui familiari fenestram aperiebat: erat enim φιλόλογος: & sententiam dicebat ipse libere, & sciscitabatur opiniones amicorum. Non dicam de eo hic pluribus, ne dolorem nostrum, cui medicinam facere erat rectius, augeam. Nimis enim hoc vul-

nus recens eſt, neque ferre dum videtur manum medici. Conſolationis plurimum ipſe tibi videbis: ego quod video, etſi hoc parum eſt, eo utor: abducam animum longius à luctu, ad tanti viri virtutum conſiderationem: quas cogito penicillo ingenii mei delineare. Quoniam verò tu me prior in amicitiam adſciuiſti; feres, quoque libertatem, quæ eſt amicorum, feres inquàm, vt te non ſolum rogem, ſed etiam moneam, vt porro ſingularem tuæ valetudinis rationem habeas. Etenim te dignum homines longa vita judicant, & reſp. amicique tam fideli patrono & viro præſtanti ſi careant, magni boni jacturam faciant. Vale. Roſtochio prid. Kalend. Nouemb. Anno M. D. LXXX.

JOANNES CASELIVS S. D. Andreæ Dudithio.


Vm aliquoties mihi Monauius beneuolentiam ergà me tuam litteris prædicarit; meas eſſe partes contrà putavi, teſtatum tibi vtrumque aliquando facere, & quanti mihi tuus ille animus, vel potius

tius judicium de me sit,&quam te hominem longè doctissimum & optimum colam. Amplitudinẽ enim dignitatis tuæ & cetera fortunæ bona,non contemno illa quidem, sed minus ipsa me movent, quàm ista propria, quibus te intellexi præditum. Profecto namque Dudthi, à spectatis viris me amari, & vnde alterum est, probari gaudeo: nec hominem esse putem, qui talium virorum censuras non ferat,qui eorundem veluti suffragiis ornari non cupiat: qui si ab iisdem ametur, lætitiam animo non capiat singularem. Multæ sunt caussæ,quamobrem hoc regum amplissimis priuilegiis videatur anteponendum. Nam vt vnum dicam atque alterum, ipsi reges & maxima plerumque beneficia in minimè bene de se meritos conferunt, neglectis etiam optimè meritis, & haud facilè queunt verè de quoquam judicare, cum ipsis vix aliquis mortalium sit satis familiaris, nedum intimè cognitus. Quamquam autem tuam benevolentiam, & ex quo hanc oriri non dubito, judicium tanti æstimo, quanti haud scio quid in rebus mortalium: tamen sic vobis assentior, vt agnoscam semper

tenuitatem animi in me bonorum, et si qua sint, conseruare magis, & magis augere studeâm, præsertim cum quotidie magis intelligam, & quam ardua sit via veræ virtutis & quam perennes sint atque inexhausti fontes sapientiæ. Hac mea de me opinione nihil mihi auctoritati præstantissimorum hominum derogare videor: sed ipso hoc instituto memet illis cariorem reddere. Nec vero, vt tui similium, ita tuum istum in me amorem leuiter confirmabit, mea tui obseruantia, qua profectò nemini cedo. Eius rei causas aperiendi video mihi occasionem datám, & video pænè oculis campum excurrendi in diuinas tuas laudes amplissimum: sed parcam pudori vtriusque. Neque enim ego assentator: neque tu ex gloriosis, qui soli suas laudes veras, falsas, patienter audiunt. Quibus te nominibus alii, iisdem etiam ipse semper colui: tum quoque, cum meum nomen ad aures tuas pervenire nondum potuerat. Tu magnis rebus præeras: ego in Italia viuebam in studiis bonæ doctrinæ. Magis te jam colere debeo; quòd fieri à me, amici hic mei norunt, quando in tuis me vltro habes: vt in perpetuum ames, non tam rogo, quamquam etiam rogo, quoniam id magnopere cupio, quam te facturum non dubito

dubito. Non facis namque hoc, nisi consilio: quod consilio facis; id non temerè, vel potius numquam abiicies: meum est videre, vt majores quotidie & plures etiam caussæ exstent mei complectendi. Vale. Rostochio XII. Kal. Iun. Anno M. D. LXXXI.

JOANNES CASELIVS S. D. Hugoni Blotio.

NE suspiceris, Hugo, fuisse minus mihi gratas tuas litteras, quod tardius respondeam: fuerunt mihi illæ, vt non exspectatæ, ita longè jucundissimæ: non exspectaram, quia nominis mei famam non putabam ad te peruenisse: voluptatem capiebam prorsus singularem, quod novo amico me auctum esse intelligebam, atque eo virtute & litteris præstanti viro. Ita viuam, ut talium ego copiam ceteris fortunis anteponendam censeo omnibus. Victorio & Cratoni multum debeo, multis nominibus, siue quod illorum claritas illustrat nomen meum, siue quod bonitas mihi concilíat passim gentium multorum amicitiam bonorum. Etsi autem in me caussas, quam-

obtem tantopere me complectantur, hoc est, plane paterno amore, non agnosco: tamen semper operam dedi, vt ipsis placerem, quibus placere impolitorum & improborum nemo unquam potuit. Sed forte plus profeci obseruantia utriusque perpetua quam ulla alia re. An non eos spontè obseruet quisque bonus? Sed ipsi ad se colendos pænè me compulisse videri possunt. Quem enim non alliciat utriusque summa virtus, & admirabiles in utroque litteræ? quæ est in bonorum animis quædam πετανάγκη. Sed & extant, neque à me dissimulantur illustria ipsorum ergà me merita. Sed venio ad nos: si eosdem colimus, si ab iisdem amamur: mirum sit, si amor nullus inter nos exoriatur mutuus: magis mirum, si in iisdem litteris viventes, ad eandem aspirantes virtutem, animis non simus conjunctissimis. Tu hac in re me superas, vel anteuertis, quando erudita epistola mihi tuum erga me amorem significas: in quo ego tibi lubens respondebo, idque tibi duxi testatum faciendũ hisce litteris, quarũ tarditatem non miraberis, cum cogitabis, quanto terrarum interuallo disjungamur, quamque rarò isti huc, nostri istuc commeent. Quod de amicitia in vulgus ὑπόυλῳ quereris, hoc

pervul-

pervulgatum prorſus: ſecundum, quod de periculo imminente, doctisvè dicam viris, an ipſis litteris? Nos antè omnia laborabimus, vt rectè cum ſentiamus, rectè & faciamus: longiſsime ab omni turba & factione abſimus: cetera, quæ in manu noſtra non ſunt, aut feramus fortiter, aut ratione mitigemus. An tu neſcis, quid paſſim fiat hodie? Hoc ſollicitius ago res meas: cum omnibus amicitiam, quæ latiſsima in ſocietate mortalium coli poteſt, colo: iniurias in me aliorum non inſector, ſi honeſte diſſimulari poſſunt: ne quem temere offendam, ſtudeo: neque tamen neſcio, quam multis quæ facio minimè probem. Idem tu, multoque facilius cum facias, quantò es ab omni liberali doctrina inſtructior: ſecundæ fortunæ curſum facillimè tueberis, adverſæ fluctus, ſi qui excitabuntur, franges aut ſuſtinebis. Vale. Roſtochio IV Non. Iun. Anno M. D. LXXXI.


IOANNES CASELIVS S. D. Ioanni Caſimiro Duci Saxoniæ.

TEMpori, princeps Ioannes Caſimire, fuiſſe redditas iſtic ſuperiores meas litteras: die natali tuo: ſcribit

vestrorum ille animorum formator optimus. Isto igitur otio, & domestica lætitia, amica mei à vobis mentio facta fuit, & perhonorifica, ut non dubitem, quin, quod ostenditis quoque per epistolam, non minus, quam coram mihi ostenderatis, habeatis me in carissimis vestris: non ut reges nominant carissimum quemque, cui non graviter infensi sint, sed, ut loqui solemus Latino sermone, Germanicis moribus. Neque enim illius tibi proprietas ignota est: nostræ autem nationis integritas & constantia passim gentium præ omnibus celebratur. Quam laudem prorsus heroicam, qua etiam ómnium Græcorum ad Trojam optimus & fortissimus Achilles triumphabat, cum plærique inferiorum ordinum tueamur, vos reges abijcere minimè oportet: quin hoc tueri magis. Nam vestrum quemque, quando genere, divitiis, potentia, dignitate præstatis, magis præstare omni virtute & sapientia fas est. Hæ quoque sunt caussæ, cur bonis litteris imbui jussi sitis: quod cum ipsimet intelligatis, plenius eas imbibetis ultro, neque ab hoc minimè prophano symposio vobis esse discedendum putabitis antè, quam sitim sapientiæ expleveritis: hoc erit ea exhausta omni, si fieri possit. Coles igitur

gitur, vt tecum loquar, hæc studia doctrinæ perpetuò: sed maximè hac tua adolescentia, qua & otij tibi est satis, & potes proficere plurimum, & te in recta vitæ ratione confirmabis. Hac tua felicitate gaudebo magis, quam beneuolentia ista singulari, qua me complecteris, qua tamen gaudeo maximè. Vale. Rostochio IV. Kal. Sextil. Anno M. D. XXCI.

JOANNES CASELIVS S. D Joanni Ernesto, Duci Saxoniæ.


Gratas mihi vestras litteras, princeps Ioan: Erneste: sic habebitis: etiamsi tardius responderim. Non fuit interea cui darem, vel si quis se mihi ostendisset, avolavit ille istuc potius, quàm abiit. Nam huic officio omnes occupationes postponerem. Sed tam humani principes locum excusationi non relinquitis. Tu vero etiam patieris, vt ad te sim breuior, quæque ad principem Ioan. Casimirum fratrem tuum scripsi, de ijsdem tecum quoque me locutum putabis. Vnum modo addam: cum in-

telligam vos animis esse coniunctissimis, quo nihil inter frattes rarius, nihil tamen nobilius: vnam esse inter vos contentionem gaudeo, in qua est summa tamen consensio, ut tu fratri benevolentia, & virtutis atq; doctrinæ studio cedere non velis. Neque illum puto tuæ huic pertinaciæ succensere, neque inuidere progressibus: sed ipsum ita procurrere, ut te etiam à tergo nolit relinquere, ad latus currentem vidére gestiat. Cum poeta contentionem exemtam è rebus humanis & divinis velit: plus vidisse mihi sacerdos Ascræus visus est, qui hoc genus probarit, & mirificè etiam ornarit: neque tamen dubito, quin ille, quem omnia vidisse tradunt, idem sentiat, apud quem ἀγῶνες quoque sunt virtutum: de quibus te cognouisse arbitror. Vale.

Rostochio. IV. Kalend. Sext.

ANNO M. D. XXCI.

JOAN-

IOANNES CASELIVS S. D. Gulielmo Duci Brunſ. & Lunaburg.



TSi princeps Gulielme, deſiderari à te meas literas exiſtimo, tum quia me tuarum frequentia provocas, tum ſi hoc non eſſet: quia novi ſtomachum tuum φιλόλογον: tamen de hac ſcribendi lentitate me non excuſo, etiam quia noui idem iſtud ingenium tuum humaniſſimum, & à malè ſuſpicando de amicis prorſus alienum. Interea tamen nullus præteriit dies, quin de te benevole cogitarem, & amicè loquerer, vel apud amicos, vel in familia. Non enim te minus amo, quam cum domi meæ vivebas, forſitan etiam magis, non ſolum, quia abſentis mirifico deſiderio teneor, ſed etiam, quia tui colendi & majores & novæ in te cauſſæ quotidie oriuntur. Nam & quæ tum primulum in te eluceſcebant, perficiuntur modo, & aliis etiam diſciplinis, quibus ipſe maximé volebam, te imbuis. Video enim ex brevi, ſed perlepida epiſtola tua, te delectari quoq; ſermone græco: quē tibi hic tātopere puero cōmendabā: quin eo, niſi alio te auocaſſet fortuna, erudiri juſſiſſem.

ſiſſem. Putabam enim, neque in hac re te reluctaturum auctoritati ſiue judicio meo. An vero hoc jam ſeriò agis? puto equidem: pingis enim, non ut eius linguæ prorſus rudes. — Ne, quæſo, in ea guſtanda tantum pluſculum operæ ponas: quin multos ego reprehendi, qui non parum in aliqua doctrina ſtudii poſuiſſent, quam deinceps abijcerent. Cenſeo igitur tibi videndum, ne labor, quem jam ſumpſeris, pereat: peribit autem, ſi his conſiſtes: ſed progrediendum alacri animo: modica diligentia exhauries, quæ vis omnia: ut velis, & perpetuò velis, cogita divitias ingenii neminem ſine ijs litteris conſecutum: ſed illarum cœleſtium opum tu laudabili auaritia inflammatus es. Sed doce me plenius, quid in hac re conſtitueris: plura deinceps ſcribam, quibus delectaberis: neque tamen voluptatem jam capies ſine vtilitate tua. Vale.

Roſtochio. IV. Kal. Sextil.
ANNO CIↃ. IↃ.
LXXXI.

JOAN-


JOANNES CASELIUS S. D. Sebastiano Leonardio.



Am tibi meas superiores opportunè fuisse redditas? summa omnium hilaritate. Itaque & ipse cuique vestrum in amoribus fui, & gratiora fuerunt, quæ scripseram: quanquam in iis nihil erat, quod vel alienissimo tempore quempiam bonorum offenderet. Studeo verò etiam probari, sed non, ut vulgus: verum ex caussis optimis. Hoc me agere, satis perspectum habes, & videbis etiam ex ijs litteris, quas ad nobilissimos disciplinæ tuæ alumnos cum his dare constitui. Cupio equidem non tam ab ipsis me amari, quod tamen cur nolim, nihil caussæ est, cum sciam neminem esse bonorum, quin se à bonis amari & velit & gaudeat, quàm quæ commendo vitæ decora, & rectè eam transigendi, tamquam instrumenta, virtutem minimè fucatam, & sapientiam regiam seriò coli. Hoc, inquam, opto potissimum: sed huius generis aliquid in eas litteras conijciam, quas ad illos dabo. Publica, ut scribis, à pluribus ad nos perferuntur:

runtur: puto nostra itidem ad vos. Si aues cognoscere de rebus Rhutenicis: tyrannus ille per legatos regi Stephano primum Liuoniam detulisse dicitur; præter Pernam, Dorpatum, & Naruam, cum neque sic spem pacis redimendæ videret, etiam vniuersam, quam rex non repudiasse: sed flagitasse insuper magnam vim auri ad leuationem partis sumptuum belli, quos fecisset. Spes magna pacis, nec dubia victoriæ. Sed inquiram hæc, ut ad nos perscripta sunt, ne quid desideres. Vale. Rostochio. IV. Kal. Sextil. Anno M. D. LXXXI.

IOANNES CASELIVS S. D. Friderico Bilæ.


I breui extemporanea epistola tibi satisfieri pateris, Friderice (vix mihi iam licet per hunc hominem fasciculum componere, ita properat) eccam tibi. Tuam in me beneuolentiã amo, qua meam mereris, si tui amandi caussa non esset: hæc est singularis, istæ tuæ non vulgares litteræ,

ræ: non dico ſtudium, quo maximè inflammatus es, ut intelligas, præclarè me exiſtimare de præfectu tuo. Ea enim ſcribis, quæ adoleſcentem nobilem meditari æquum eſt, & ita ſcribis, ut ab eo exſpectari poſſit, qui totus ſit in litteris, & cum primis eloquentiæ ſtudeat. Perge verò, & ſæpè ſcribe: ut ſæpe recognoſcam tuum in me animum benevolentiſſimum, & animaduertam, te maioribus in ſtudio hoc tuo paſſibus currere. Ex utroque mirificam ſemper capiam voluptatem: in uno tibi reſpondebo, in altero te confirmabo, vel, quoniam non opus eſſe video, collaudabo. Vale. Roſtochio IV. Kal. Sextil. Anno M. D. LXXXI.

JOAN-

JOANNES CASELIVS S. D. Christiano Distelmeiero.

GRatum tibi esse studium meum, non dubitabam, non solum, quia plus mihi in litteris tribuis, quam ipse arrogem, sed etiam, quia me mirificè amas. Solemus enim quæ ab amicis proficiscuntur, quamuis tenuia, in rebus carissimis habere, & non raro multo etiam preciosioribus anteponere. Non putabam autem te cogitare de referenda gratia, quasi τῶν ῥητῶν: certò sciebam, siue scripsissem aliquid, siue nihil scripsissem, te non defuturum, si opus esse ostenderem, aut tibi in mentem veniret, in rebus meis, neque mihi, neque meis: meis autem, cum si quos tibi commendarem, in quo feres audaciam meam, tum qui ex me nati, quotidie opem meam implorant, majoremque cum ætate propediem flagitabunt, vt nullum verbum faciant. Quod si mihi soli viuerem; nemini mortalium grauis, contrà quibus possem, studerem esse vsui. Etiam nunc, quibus queo, & quantum omnino queo, seruio, potissimum ingenuæ doctrinæ studiosis adolescentibus: quoniam mihi in aliis vel nihil, vel parum facultatis est: al-

terum


terum æquè declinaturus mihi in perpetuum videor, præſertim cum litteris & litterarum cultoribus olim à regibus conſtituta præmia, paullo antè prorſus evanuerit, κῦτε καπνός. Iam verò præter omnem exſpectationem meam luculento me munere affeciſti, quo pleniſſimè teſtatum mihi faceres animi ergà me tui ſingularem benevolentiam. De eo te amo, daboque operam, vt aliquando coram tibi gratias agam: ſi hoc breui non fiet, aliam viam inveniam, qua magis tibi probem animum meum, & tuum in me complectendo magis confirmem, aut quoniam hoc non opus eſt, oſtendam, quam non erraris in hoc, qui me vel vltrò, vel, cur enim diſſimulem? ea facilitate in amicitiam adſciueris, de ſermonibus bonorum, & quibuſdam ſanè mediocribus ingenii monimentis notiorem, quàm de facie. In eodem vero faſciculo accepi plurium perelegantia ſcripta, gaudeoque vniuerſum pœnè chorum muſicum præſto fuiſſe honori tuo: non equidem iniuria, quem tu ſtudio & præſidio ſubleuatum tuo, velis eſſe ſemper ornatiſsimum. Probo etiam præclarum tuum de Thoma Hubnero judicium, quem cognoui jam ab adoleſcentia virtute & integritate vitæ nemini ſecundum:

de eius animi dotib. ita ſentio, vt in copia optimæ doctrinæ, & admirabilis in dicendo facultatis ei neminem præferam. Qua in re cum mecum non diſſentias; perges eum veteri tuo amore complecti, magis etiam, quam meipſum. Cur enim hoc non feram? cum intimos ipſius ſenſus certius perſpexeris, quam meos, hominis tibi à pueritia notiſſimi: non dicam magis, ne quod mihi tribui cupiam, ipſe derogem. Tantum autem abeſt, vt illi invideam, vt hoc etiam te rogem. Declarare etiam ei potes amorem tuum conſilio & ope, & cogitare ubi id facias. Cenſeo enim ſubvenias hominis pudori. Eum enim probare in bonis ita debemus, ut non negligamus: utrumq; prudentis eſt, hoc benefici. Non potes autem ignorare, in quas difficultates quorundam perfidia conjectus ſit, quos cum ille juvaret, ſe pænè, certè de ſuis multum perdidit: non levibus curis ipſius animum angi ſcio. Da quoque mihi veniam, qui tibi eum commendem, in quo amando mecum certes. Non reprehendenda videtur cura, quæ pro amico ſuſcipitur, nec ſupervacanea: neque perindè impudentes in aliena re: ut in propria videmur:

demur: quanquam & hanc meam puto: ſed ſcis ut loqui conſueverimus. Vale. Roſtochio X. Calend. Septemb. Anno M. D. LXXXI.

IOANNES CASELIVS S. D.

Ranero Raneccio.


Onjunctionem animorum prædicant omnes uno ore, nec minus hodie, quàm omnibus ſeculis neque deſunt boni viri, qui in illa ſtabilienda per ſocietatem hominum laborent: profici autem parum, nimirum res ipſa indicat. An ea eſt rei natura, ut in vulgus manare non poſsit? Hoc enim minimè mirum: quoniam in quibus virtutis ſenſus non eſt; nihil prorſus habent, quo animi ſincerè conglutinentur. Nam qui ſuavia ſpectant, in ijs voluptatis quædam fragrantia momento exhalat, & fumi inſtar evaneſcit: qui utilitate metiuntur omnia, quandam amicitiæ ſimilitudinem colunt paulo fide-

 lius,

lius, quoniam mutuis operis vita indiget, quas vtrimque, quoniam ipsis commodum est, libenter præstant: in alterutro si tandem aliquid desideretur; & horum animi vt plurimum dissiliunt. Nihil igitur mirum, inter plerosque minus convenire: sed hoc mirum, qui humanis & diuinis litteris studemus, non facilè coalescere, sed multo etiam magis dissidere: de quo scelere siue fato, sæpius queri & stomachari soleo, pæne invitus, vel alieno loco. Sed ni fallor, nos, hoc est, quotquot nostri ordinis sunt, non facimus id, quod longissimè fugiendum esse cognouimus, nobisque ita penitus persuasimus, vt neque velle, neque facere possimus aliud. Sed auertam calamum à barbaro illo temerè controversantium grege. Ab vltima pueritia ex re ipsa didici: in quibus aliquod studium esset virtutis & sapientiæ; semper abhorruisse à contentionibus, & cupidè studuisse amicitiæ, cuius leges vel soli tenerent, vel certè non prorsus ignorarent. Hi non solum, si vna educati fuerunt, aut aliquandiu vna vixerunt, se amant, sed complectuntur etiam, quos diuidūt ὄυρεα τεσκιοέντα καὶ ἠχήεσσα θάλασσα, licet se nunquam viderint.

derint. An in animis bonorum eam vim esse negabimus, & horum maximè, qui pectus litteris expolierunt, vt ad sui similium animos sibi quam arctissimè copulandos rapiantur? Vacamus enim invidia, & humanitatis jura didicimus: neque anteponimus fortunæ bona animi dotibus. Sed quid hæc tam alte repeto? Nullam sanè ob caussam, nisi quod eiusmodi meditabar, ad te scripturus, quæ si legeres, jacturæ saltem nihil faceres, & videres forte, sensibus esse nos congruentibus. Hinc autem ordienda erat epistola: placuisse mihi monumenta ingenii tui, quæ jampridem apud amicos vidissem: neque potuisse non tuos præclaros conatus probare. Itaque etiam te amabam: sed ultrò susceptam animo beneuolentiam ergà te confirmarunt amici vel tui, vel communes. Ex his quoque primum, deinde ex tuis litteris vidi, tibi perinde accidisse de me: quod facile patior, & gaudeo. Est enim profectò satis caussæ, cur gaudeam. Intelligo enim me à veteribus amicis amari, & cumulari nouis. Vtrumque iucundissimum: hoc eo iucundius, non quod multitudinem in amicitia spectandam putem, sed quod iis, qui decedunt, (amisi enim ali-

quot his annis proximis) succedant, quos velim accedere. In ceteris suauissima mihi accidit mentio Ioannis Michalouitii: sæculum enim, ex quo de ipso nihil cognoueram: colebamus adolescentes amicitiam, vt sodales, & græcas litteras, vt bonæ doctrinæ cupidi: legebamus, vt vtriusque captus ferebat, quotidie, poetas, oratores, historicos Græcos: si tum quis extitisset, qui ducem se fuisset professus ad philosophiæ penetralia; quàm nos eius vestigia cupide fuissemus secuti, ὤστε θεῷῳ? sed, vt etiam nunc, passim perquam frigide tractabantur, & vix pueriliter recondita illa sapientiæ studia. Progressi fuimus aliquo, ego non desino urgere illud iter, quod ingressus tum fui: neque desum tamen aliis: ille dignitate præstat, & auctoritate valet in patria: quæ omnia ipsi, & ipsum patriæ tantum virum gratulor: qui quantus esset futurus, tum apparebat. Præter enim litteras, erat in adolescente grauitas, quæ rarò in eam ætatem cadit, prudentiæ argumentum: nec quidquam erat eo sincerius, nihil modestius, nihil humanius. Præstantem habuisti apud Boemos hospitem: qui cum te amicum mihi cum primis fecerit, me quoq; tibi

tibi nesciens facit amiciorem : quod si ex litteris tuis cognosceret, non minus mihi gratum esset, quam ipsi: sciret ex meis, si essent, qui hinc illuc iter faceret. De Hubnero & Censorio non agam multis: cum viuas cum altero, ad alterum sæpius venias: & utrumque domi suæ vidi: Censorius etiam apud me fuit: Hubnerum sub ver exspecto. Sed gratum fecerunt ambo utriq; nostrum: mihi certe, quia & tibi meum in te animum, & mihi tuum in me nunciarunt. Quod in officio scribendi, quod præsertim per illos tibi ostenderam, me antevertis, te amo, neque tibi in hoc genere palmam inuideo, etsi non inferior amicis esse studeo. Sed multa obstant, quod video te quoque animaduertisse, vt purgatione apud te mihi non opus sit, etiam huius cessationis. Pro ea habeto loquaciorem hanc epistolam, quam tamen ipsam, neq; res patitur perscribere. Tamen vnum non debeo præterire, quod suprà attigi: tuos conatus omnes probant intelligentes & docti viri: ego mirificè: neque sapiat, qui patriæ lucem inuideat. Tu igitur rectè, qui è tenebris domestica ornaméta eruere cogitas: erit illustrior Germania: erit melior. Si enim suorum maiorum præclara

facinora legent principes, magis, quam longinquis historiis ad virtutem regiam excitabuntur. Sed hic campus jam relinquendus est, in quem exspaciabor, cum iterum scribam, quando & cætera persequar, quæ te velle intelligo. Vale. Rostochio V. Id. Martii. Anno M. D. XXCII.

NICOLAO CASIO Viro Nobilissimo, Regni Danici Cancellario. S. P. D. Ioannes Caselius.



Vm hic juvenis & in re sua, & videndi regni florentissimi gratia istuc proficisceretur, iterum aliquid scribere ausus fui: etiamsi ad te superioribus diebus litteras pæne inanes dedissem: nisi pro tua sapientia sic statues, quæ gratum & memorem animum aperiant, non penitus vacuas esse omni re, & ferre denique illud boni, quo carere maxima pars mortalium existimatur. Ego vero, postquam tu me, Nicolae Casi, in tuis habere cœpisti, & non suspicantem beneficio affecisti; iampridem cogi-

cogitaui, quodnam illuſtrius argumentum mei grati animi & obſervantiæ in te ederem, neque aliud vidi, quam ut aliquid vigiliarum mearum ad te mitterem, ſi quid poſſem te dignum elaborare, cum ſciam te ijs delectari, quæ aliquid ſpirent veræ politæque doctrinæ veterum: neque tamen id hactenus ipſemet mihi imperare poſſum. Valde enim vereor, ne hanc rationem ſecutus, non tam pro vetere beneficio gratias agere, quam novum petere videri poſſim: quod minus tamen vererer, ſi me noviſſes familiarius, quod ſine alicuius temporis conſuetudine fieri non poteſt. Tamen loco illuſtri, (occaſio enim ſe mihi certè offeret, quam etiam ſtudioſè aucupabor) virtutem tuam prædicabo verè, ſineq; tua moleſtia. Hoc etſi non negligam; tamen & alij erunt præcones tuarum laudum, me haud inferiores, neque hodie deſunt: quem honorem tibi gratulor. Eſt enim profectô honor, à bonis iiſdemq; acribus vitæ humanæ exiſtimatoribus, non á quiuis, aut ab aſſentatoribus celebrari. De Nathane Chytræo homine doctiſſimo & viro gravi affirmare non dubito, quas tibi ille laudes, quod verecundè facit tamen, cum quid ſe dignum ſit non neſciat, tribuit; idipſum tuæ humani-

tis, quæ cæterarum virtutum familiam facilè ducit, & sapientiæ prædicatione impulsum facere, & facere omninò tum ex animo, tum sincero judicio. Iudicium enim de te nõ solum facit judicio aliorum, sed ex ijs quæ ab omnibus à te divinitus consuli gerique intelligit. Librum autem quod una mittit, non possum non probare. Neque autem te docebo, quam bonus, quam elegans sit, cum ipse tuo judicio stare malim, quam meum tibi de hoc genere ostendere: hoc silentio præterire nequeo, me libellum, ea, qua scriptus est lingua, à multis iam annis legendo contrivisse. Quam autem feliciter Nathan operam suam collocarit in eo interpretando, quantumque valeat in carmine pangendo, res nimirum ipsa loquitur: & quoniam cœpi, ut verê, ita liberè pro amico loqui, dignus est nobilissimorum hominum, principum, regum denique gratia, hoc est, qui foveatur ab optimis & potentissimis. Sed proh dolor ita fit hodie, vt in tanta multitudine eruditorum, quando hoc perverso seculo, qui latinam linguam vix dum balbutire inceperint, (linguæ enim unius alteriusve haud satis felix cognitio hodiè est instar illius

lius apud veteres pallij ad talos demissi, & barbæ promissæ, quæ venditabant vulgò philosophum) bonas autem litteras nunquam viderint, nobis si dijs placet, libros cudunt quam plurimos, audacissimi quique quos necesse est esse pessimos, emergant, negligantur doctissimi: aut illorum importunitate, & sine ambitione, sive avaritia, illi precio, quo sanè indigni sunt, hi præmio quod debetur veræ eruditioni, vtrique gratia principum excidant. Sed apud vos futurum auguror, ut præstantes viri perpetuò suum locum teneant. Vidi enim ex tuis ad socerum meum litteris, vos acres esse censores omnis generis scriptorum, & regi vestro commendare, quibus ornandis laudes & ipsius majest. & vestræ amplificentur. Inde conjecturam hanc facio, aliam esse conditionem communis generis scriptorum, quo tamen neque eos nomine appellarem, si aliud occurreret. Hæc venerunt in mentem, cum amici res mihi curæ esset, de qua etiam magis auderem laborare, quam de mea, hominis præsertim omni laude digni. Censuram autem tuam non injuria, neque tibi adulans prædico, qua, quia

ſemper uteris neque rex munificentiſſimus minus unquam erit erga dignos liberalis, & conſuletur tum dignitati tuæ, tum utilitati publicæ. Quod ſi vero exiſtimes, eſſe hanc veluti admonitionem, eamque ſuperuacaneam veniam mihi ut des, rogo, daresque eam ultrò ſi cogitationum mearum rationem tibi exponerem pluribus. Verum ad ſapientem longiore oratione minimè opus eſt. Vale vir nobiliſſime. Roſtochio. IV. non. Maias. Anno M. D. LXXVIII.

IOANNI MARTIO S. D. Ioannes Caſelius.

Vide, Marti, ut liberos tibi meos rectè commendauerim: ſic etiam ſpero. Noui enim diligentiam tuam. Si paullum proficit Ioannes Vlricus; ſatis mihi fieri puta. Cauendum enim maximè, ne infantia faſtidire incipiat litteras: præclarè agatur, ſi vel minimo profectu, amare incipiat. Alterum eſt: ut otij iſtius, non iam mihi, ſed tibi poſsis rationem reddere, memor præceptorum meorum fidelium, quibus ſi parueris, nunquam profectò te pœnitebit. Hoc ad te ma-

te maxime pertinet : etiam me tibi magis devincies, vt sedulo semper cogitem, quibus te ornem modis. Omnes amo bonis litteris deditos, sed eos maximè, qui mea consilia in discendo non sint aspernati. Contra, recta consilia temni, neque rectum est, & consulenti molestum : cui consulitur denique fraudi. Vale. Halibus Saxonicis. III. Non. Ian. Anno CIↃ. IↃ. XXC.

BVRCARDO ARNICHIO Secretario Reip. Hannoveranæ. S. D. Joannes Caselius.

Breuis illa fuit, nec plus quàm bidui, sed perjucunda mihi tecum consuetudo. Hanç ego nunquam obliuiscar: Sed eius præcipuè tamen hic me dies admonet. Annus enim hodie est, quando ad vos veni. Erant sermones nostri hominum eruditorum: videlicet de bonis litteris & doctis viris. De quibus enim rectius? non solum, quia, ut ajunt, de ventis nauta, de tauris arator, sed etiam quia nullum suauius conuiuij condimentum excogitari potuit. Nec ego musicam excipio: etsi hac

soleo

ſoleo oblectari ſingulariter, præſertim eleganti, cuiuſmodi veſtra profecto erat. In cæteris enim cum tu mihi retuliſſes γαμιότητα Ασπιδίου, veteris tui amici: retuli id epigramma in codicillos, vt cum aliis etiam communicarem. Dignum enim judicaui, quod à pluribus etiam legeretur. Vtinam Aſpidius è caſtris Muſarum non exceſsiſſet, aut Mars Muſarum alumno peperciſſet. Verum ille nihil novum, ſuoque loco indignum ſe putauit facere, qui Mineruam armatam recordaretur: hic & doctiſſimum & fortiſsimum quemque, vt quis obuiam fuerit factus, demetit. Nos tamen ingenium hominis amplectamur, memoriamq; conſeruemus, quod in nobis eſt. Quod cum tibi ſciam placere, ego te juvo lubens. Referes mihi hanc gratiam, vt quem ames, & magis & in perpetuum ames. Tu certè mihi es in cariſsimis. Vale. Roſtochio. Pridie Kalend. VIIbris.

Anno cIɔ. Iɔ.

XXCV.

FINIS.

